

P U D E N D A  
PONTIFICIORUM  
IDOLOLATRIA,

Quam plurimis modis committunt, defendunt, excusant  
ac fatentur, Thesis certis, ita ut prius Idolola-  
tria in genere consideretur, inclusa

⁊  
D. O. M. A.

PRÆSIDE

RECTORE MAGNIFICO

*Viro admodum Reverendo, Clarissimo, Excellentissimo*

DN.

WILHELMO LYSERO,

SS Theol. D. & P.P. Celeberrimo, Promotore, Inspectore  
ac Præceptore suo nullo non observantiæ genere


*καὶ πρὸς τὰ ἑχρήματα* prosequendo, publicæ συζητήσεως  
expolita,

à  
M. JACOBO WELLERO, Neukirch,  
Varisco, Sereniss. Elect. Saxon. Alumno.

*Et d. 31. Martii 1631. in Audit. Majori Witteb. habita:*

jam vero in gratiam SS. Theol. studiosorum denuo  
edita.

coll. diss. A  
S 2, 26



LIPSIÆ,

Prostat apud JOH. CHRISTOPHOR. BRANDENBURGERUM.

ANNO M.DCCI. a. LXXII. 26.





כִּי הוּוֹרָה :

# DE IDOLOLATRIA PONTIFICIA.

I.



Νευ προοιμίῃς, veteres Areopagitæ dixere; Proinde & nos quum omnes quos fides cæcorum ducissa ducit ad DEUM, quos spes futurorum sitibunda animat ad cœlum, ἀμφοτέραις largiantur ὀλέταις Idololatriam omnibus reliquis vitiis palmam am-

biguam, si peccati palma datur, præripere, absque præloquio in rei ipsius arcem involabimus, faxit DEUS Ter. Opt. felici decurrant tramite cuncta.

2. Quum verò omnis, quæ à ratione suscipitur, de aliqua re institutio debeat a definitione proficisci, ut suadæ medulla Tullius ait, & primas sibi in omni tractatione vocabulorum evolutio, consentiente Arist. i. M. M. c. i. vindicet, nos etiam vocabulum ipsum, antequam ad rem accedamus, evolvemus.

2. Considerari verò solet vocabuli definitio, quæ ὀνοματώδης, quæ πραγµατώδης. In illa consideranda venit

A 2

Etymo-

*Etymologia, Synonymia, Homonymia.* In hac ipsa definitio rei. De priori ergo, quum priusquam ad rem perveniamus pauca de significatione referre è re sit Scal. exercit. 359. S. 1. & à verbis ad sensum, à sensu ad rationem, à ratione ad veritatem accedendum, prudenter mon eat Hilarius lib. 5. de Trinit. primo agemus loco.

4. Dicitur verò Idololatria à nomine Idolum & verbo λατρεύω. Idolum græcè εἰδωλον (Hebraicè פסל תרפים יצר &c.) unde deducatur docet Tertull. lib. de Idol. f. 719. edit. Basil. Anno 1562. εἶδος, inquit, græcè sonat formam, ab eo per diminutionem idolum deductum æque apud nos formulam fecit.

5. Sumitur autem vox Idoli dupliciter vel *objectivè* vel *subjectivè*. *Objectivè* iterum vel ἰδίως vel τροπικῶς ἰδίως notat illud, quo numen aliquod repræsentatur & potest nominari Idolum externum vel materiale Exod. 32. v. 4. Act. 7. v. 41. cujus etiam respectu in scriptura dicuntur idola aurea, argentea, lignea, pedes habere & non ambulare &c. Esa. 2, 20. 31. 7, 40. Dan. 3. v. 5. 5. 2. Act. 17, 29. 1. Reg. 12, 28. Psal. 115, 5.

6. Τροπικῶς vel μετανομικῶς Idoli nomine venit illud, quod figura externa ad colendum, adorandum &c. repræsentatur. Cujus respectu omnium gentium dii dicuntur Idola 1. Chron. 17, 26. אלהים Levit. 26, 1. Jes. 2, 20. (Chald. טעון) res nihili, nullius virtutis vel quod non dii ab אלהים vide Buxt. in lex. אלהים Ezech. 22, 3. dii stercorei, quibus homo contaminatur, vel quo nihil abjectius. Notum enim illud Heraclii; νέκυες κοπρίων ἐκβλητότεροι. אריות tormina gravissima, qualia sentiunt parturientes, quod conscientiam perpetuis

petuis

petuis æthneis quasi flammis, quibus extinguendis ne Oceanus quidem sufficeret, torqueant. **וַיִּנְיָ** iniquitas, à vanitate & impietate, **עַצֵּב** & **עֲצִיבֵי** quod tristitiam pariant: **מִפְּלֵצָה** 1. Reg. 15, 13. Super quem locum Rab. Levi ita commentatur: **מִכֵּי נִפְלְצוֹת וְאֲרוֹת** **לְעוֹבְדֵי שֵׁמוֹת** quia adducit, idolum videl. horrorem & calamitates multas cultoribus suis &c. Et Paulus 1. Cor. 8. quod *εἰδωλον ἄδὸν* sive nihil sit.

7. *Subjectivè* dicitur cultus vel opinio de Deo etiam vero falsa scripturæque contraria. Quod fieri potest aut *σεσηµειωῶς*, quando id quod DEI vel DEO proprium creaturis extra DEUM offertur, aut *θετικῶς*, quando DEUS *ἐθελοπερισσοθεησεύσεως*; ut *Eriphanius cultus Electitios nominat*, utut bona intentione excogitatis præter Scripturæ filum ac stylum colitur.

8. Priori modo Idolum sibi erigunt Avari, quando apud pecuniam, quæ *πέλεται ψυχὴ δηλοῖσι βροτοῖσιν*, ut Poëta ait, animum clavo desiderii fixum habent, Eph. 5, 5. *Ethnici, Judæi* (qui Ethnicorum Idolomania nimis fuerunt affines, in eamque sæpius prolapsi) *& omnes alii*, quando creaturis divinum cultum offerunt, illisque aut sanitarum restitutionem aut bonorum elargitionem vel cœlorum distributionem &c. ascribunt. A quo Pontificii sanctos invocando, *Creaturis* vim supernaturalem extra scripturæ autoritatem tribuendo &c. ne latum quidem ungvem distant. Posteriori modo Idolum ipsa Trajanæ columna superius sibi extruunt 1. omnes *Turcæ, Ethnici, Judæi*. Quia enim creatorem, cœli & terræ non eo, quo se revelavit, modo honorant, non DEUM sed figmentum adorant; 2. *Heretici,*

A 3

qui

qui vel Christi Deitatem vel humanitatem vel Spiritus S. ὁμοσιάν inficias eunt, & imprimis Papistæ quando DEUM operum meritis, missæ abominatione, Sanctorum religiosa invocatione &c. colunt.

9. Huic sententiæ fulgentissimi Christiani Reipublicæ Patres, Hieron. & Augustinus, subscribunt. *Ille enim* quo nemo in explicanda scriptura felicior in c. 31. Jerem. & 3. Dan. sic ait: *In hunc usque diem Idolum in domo DEI vel incredentium cordibus & animis erigitur, cum nova aliqua excogitatur opinio. Item opinio falsa est falsitatis Idolum.* Hic verò, quo nemo in refutanda hæresi acutior, quæst. super Josuam sic inquit: *S. Propheta Josua in cordibus illorum cogitationes de DEO, DEUM minimè decentes, videt, quas ab illis auferri exoptat. Nam quisquis DEUM cogitat, qualis non est, alienum utique DEUM & falsum in cogitatione portat.*

10. Præter rem verò & rationem Bellarm. qui oculus totus, ut Junonem Romanam conservet, subtilis est l. 2. de Ecclesia Triumph. c. 5. Col. 782. In discrimine inter Idolum & Imaginem, quo habeat suam, ut palliare queat Idololatriam, constituendo, quando ait: *Imaginem esse rei vera similitudinem. Idolum verò statuas falsorum Deorum, quæ quidem quoad materiam solide sint, inanes tamen quoad formam, seu, ut l. d. Col. 781. inquit: Idolum representare id, quod revera non est.*

11. Licet enim discrimen inter Idolum & Imaginem sensu Ecclesiastico non damnemus, sed ipsi contra Iconomachos defendamus, tamen non solum ex imagine posse fieri Idolum ( ut vel serpens iste æneus exemplo est, & rectè autor librorum Carolin. lib. 4. p. 18.

Nos

Nos imagines in basilicis positas idola non nuncupamus, sed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recusamus) Sed ex Idolo fieri imaginem (quum Idolum sit in prædicamento τῶν πρὸς τι quæ se invicem ponunt ac tollunt, secus ac Mosanus Esbacensis in suis vindiciis p. 296. statuit, quum & Sol Ethnicis fuerit Idolum) quin & prima impositione hæc adeò non differre clarè asserimus.

12. Non solùm enim Exod. 20, 4. ubi in hebræo est ἰδῶλ Chald. paraphr. 𐤀𐤏𐤍, LXX, usurparunt vocem εἰδῶλ, & Paulus gentes εἰδωλολατρίας accusat, quòd τὴν δόξαν τῆ ἀφθάρτου θεῆ ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος τῆ φθαρτῆ ἀνθρώπων mutaverint: verùm etiam vulgata versio (quam nemo quovis prætextu rejicere audeat, Concil. Trid.) nomen Imaginis Idolo Ezech. 7, 20. c. 26, 17. &c. tribuit.

13. Sic etiam Protomartyr B. Stephanus vitulum in deserto à Judæis erectum εἰδῶλον vocat. Act. 7, 41. Judæos v. non eò dementiæ devenisse, ut aureum vitulum DEUM verum putarent, vel κοινὰ ἔννοιαν quem vis docent, ut viscera circumstantiarum & ipsam verborum συνάφειαν non attingam. Quod adeò manifestum, ut ipse Bellar. lib. 2. de Imag. c. 3. Col. 14. lit. a. ex Abulensi, Cajetano & aliis Papistis non improbabile sibi videri dicat, Judæos vitulum aureum pro imagine DEI veri habuisse. Quin posito quosdam Judæos πρὸς τὴν ἰδέαν hac communi caruisse, num è censu Idololatrarum erit eximendus Aaron, qui vitulum conflavit festivitatemque habendam indixit? Non puto, contrarium enim Scriptura testatur Exod. 32, 25. Aaronem verò non altiora in fide fundamenta jecisse, quàm ut animum induceret,

aureum

aurum esse DEUM, quin vitulum tantæ fuisse virtutis, ut quum nondum in rerum natura existeret, populum tamen israëliticum è malis plus quam Lemniis & Ogygys liberaret, quis præter Jesuitas vel per febrim somniaret, nedum crederet?

14. Et certè nemo, nisi qui in historiis non modò jejunus sed planè hospes, in eam sententiam descendet, omnia Ethnicorum Idola nihil repræsentasse. Ut enim sicco præteream pede Idolorum originem, quam nobis sapientiæ liber c. 14. aperit: taceam gentes adorantes Solem, Lunam, Astra: velim saltem Jesuita *Arnobii libr. 6. adversus gentes manu evolvat*, Ethnicorumque ab idololatria vendicantium exceptiones apud animum pensitet, næ, mi Chrifte, nisi planè obæsararis velit haberi, visurus esset, gentes, *se eo nomine excusatum ire, quod DEos in Idolis, non æra neque auri argenteque materias colant: item se propter imperitum vulgus simulacra erigere, ut terreatur ista numinum specie objecta.* Videri etiam poterit Athanas. in oratione contra gentes. Cujus λευκῆ λόγῃ, ut ad illud Græcorum alludam, tanta est vis ac ἐνέργεια ut Cajetanus in p. 3. Thom. quæst. 25. art. 3. Peresius part. 5. de Tradit. Fonseca in notat. margin. ad Cajet. in c. 4. Deut. concedant, plurima Idola Ethnicorum verum repræsentasse DEUM.

15. Quin & veteres Romani auctore Varr. apud August. *lib. 4. de civit. DEIc. 31.* absque simulacro suos cultum veniebant DEOS. *Perse* latæ stultitiæ damnabant eos, qui simulacra erigerent, teste Herod. in Clione, & apud Seras lege cautum erat, ut *Bardesanes Syrus apud Euseb. Prepar. Evan-*

Evan-



*Evangel. lib. 6. c. 8.* affirmat; ne dii simulacris venerentur. Quos tamen idololatrarum censu eximere non possumus.

16. Verùm enim verò ipse Bellarm. nec sibi nec suis sociennis probatur. Libr. enim 2. de imag. c. 7. idolum definit, *quod sit imago, quæ habetur pro DEO seu quæ representat tanquam DEUM eam rem, quæ non est DEUS.* Item c. 11. Col. 802. lit. D. Christianos ob Christiani Categoros (qui non Ethnicorum, sed venerandas imagines Domini nostri Jesu Christi, Domineque S. Maria, SS. Angelorum & ejus Sanctorum ita colebant, ut DEOS more Græcorum, verba sunt Damasceni f. 587. edit Basil. quæ cautè omisit Jesuita) idololatrias accusatos & meritò asserit. Hos verò imagines propter Christum coluisse testis in propria causa est Bellarm. ipse lib. 2. de imag. c. 24. Eodem l. de *Alexandro Severo verum esse ait, quod imagines Christi & Abrahamæ cum cæteris suis Idolis veneratus fuerit. Hunc tamen Idola coluisse, quis inficias iret.*

17. Suis etiam sociennis hyemem parat gravio-rem. Cajetanus enim in Cap. 20. Exodi *perspicuum, ait, esse, quod in tabernaculo DEI fuerint Idola Cherubinorum.* Catech. Romanus in p. 3. de I. præcepto c. 2. quæst. 11. *Præclare igitur Apostolus eos in corruptibilis gloriam in similitudinem volucrum, quadrupedum ac serpentum, dixit. Hæc enim omnia tanquam DEUM venerabantur, quum illi harum rerum imagines ponerent: Gregor. de Valent. l. 3. de Idol. c. 2. Idolum græcè imaginem sive simulacrum significat.*

18. Nihil etiam causæ Bellarminianæ accedit, quod Paulus Idola 1. Cor. 8, 4. nomine *Nihil* insigniat. Siquidem

B

πολλὰ

πολλαχῶς λέγεται τὸ *Idolum*, τὸ *Esse nihil*, τὸ *Nihil*. De Idolo jam dictum. τὸ esse nihil verò sumitur vel ὑπαρκτικῶς vel ἐνεργητικῶς. Illo modo notat *Substantiam*. Hoc verò, rei *subsistentis vim & efficaciam*. Sic quod Paulus 1. Cor. 7. v. 19. dixit, circumcisionem nihil esse, id ipse per τὸ valere nihil explicat Gal. 5, 6. In Christo JESU, inquit, neque circumcisio quicquam valet, neque præputium. Denique vox *Nihil* sumitur ἀπλῶς & negativè vel χετικῶς & privativè: Sic de homine arrogantiae fastu percito dicit Scriptura, quod nihil sit, cum se aliquid putet Gal. 6, 3. *Idolum* igitur nihil dicitur, quod nec DEUS sit, vide Theol. 6. Nec etiam aliqua potentia, virtute & efficacia sit præditum. Et ita etiam Chrysoft. super hunc locum, ποῖον, inquit, δὴ ἔστο ὅτι ἔδεν εἰδωλον ἐν κόσμῳ, ὅτι ἔδεις θεὸς ἕτερος εἰ μὴ εἰς. ἔκ' ἔστιν ἔν' εἰδωλα, ἔκ' ἔστι ζόονα; ὅτι μὲν, ἀλλ' ἔκ' ἔχει τινα ἰσχὺν, ἔδ' ἔθ' εἰσιν. Reliqua quæ objicit, vel ex dictis refutari possunt.

19. Altera pars compositionis est λατρεύω *servio*, colo, unde λατρεία *cultus*, *servitus*, sicut ipse Bellarm. reddit. Hujus Synonymum est δαλεία, quod ex δαλέω *servio*, colo. Licet autem non negemus habere sese hæc duo, ut strictius & latius, adeoque ἀντιβείαν Synonymorum non ubique subire: quum tamen Scriptura hæc invicem permutet, nos filum hoc Ariadnes secuti pro Synonymis habemus.

20. Hebræa enim vox est כַּבַּע, quam LXX, de quorum versione hic lis movetur, quando de DEO sermo est modò voce λατρεύειν 1. Sam. 7, 3. Deut. 6, 13. &c. modò voce δαλείειν Jud. 2, 7. 1. Reg. 7, 3. 12, 14. 2. Paral 30, 8. &c.

&c. reddidere. Sic Jud. 10, 6. 16. c. 2, 11. &c. refertur de Judæis, quod ἐλάτρευσαν τοῖς βααλιμ', 2. Reg. 22, 25. dicuntur δαλέυειν τοῖς βααλιμ' 1. Reg. 12, 24. δαλέυσατε τῷ κυρίῳ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ 1. Reg. 12, 24. δαλέυσατε αὐτῷ μόνῳ 1. Reg. 7. v. 3. Deut. 6, 13. καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. Vasa templi 2. Paral. 28, 14. nuncupantur σκέυη δαλείας οἴκου ἔθους, 1. Paral. 18, 3. σκέυη τῆς λατρείας οἴκου &c. Quin & de servitio humano τὸ λατρεύειν usurpari, adparet ex Deut. 28, 48. 30, 17. λατρεύσεις τοῖς ἐχθροῖς σου. Levit. 23, 7. interdicitur die Sabbathi etiam λατρεία. Quod si proinde Bellarmini distinctio militaret, næ amplam excusandi & elabendi rimam haberent, qui die Sabbathi rebus sacris non vacant, quum à DEO ἔργον λατρευτὸν Num. 28, 18. prohibeatur.

21. Acne excipias in N. T. rem secus se habere, accipias, quæso I. quod utrumque DEO adscribatur pluribus in locis. II. Quod non solum τὸ λατρεύειν τοῖς ἄλλοις θεοῖς, sed & δαλέυειν τοῖς μὴ ἔσι τῇ φύσει θεοῖς Gal. 4, 8. τὸ δαλέυειν μαμμονᾶ καὶ δυσὶ κυρίοις Matth. 6, 24. Luc. 16, 13. τὸ τοῖς ἀδελφείοις καὶ πτωχοῖς στοιχείοις δαλέυειν, ἀποτόμως interdicator. Quin socienno huic suo *Padebor. in colloq. cum Neo-Evang.* gulam interstringunt (ut κατ' ἀνθρώπων agam) dum fortiter sanctorum invocationem Act. 27, 23. probare (licet insulsè, refertur enim ad DEUM) nituntur. Quod si aliquid obtinere volunt, utique λατρείαν angelo offerendam judicabunt, sicque Bellarmino oleum in auriculam instillare non poterunt.

22. Ex quibus sane nisi σοὶ κρονίδης φρένας ἐξέλετο ζεύς, ut Homeri verbis utar, conspicias, distinctionem in-

ter λατρείαν, δαλείαν, ὑπερδαλείαν, quæ utramvis paginam apud Jesuitas facit, scripturæ planè fore contrariam nulliusque momenti. Præterquam enim quod sic & alia δαλεία pro angelis esset effingenda, ipsum etiam ædificium invalidis ruinosisque nititur fundamentis, & sic mirum non erit, si magno oneri succumbat, quum per modico fatiscat.

23. Ait enim lib. 1. de beat. SS. c. 12. Col. 723. lit. b. c. d. *tot esse adorationis species, quot sunt species excellentiæ. Jam verò datur excellentia divina, cui respondet λατρεία. Excellentia humana, cui cultus civilis: Excellentia intermedia inter divinam & humanam, qualis est gloria Sanctorum, cui dulia, & quia Christi humanitas & Maria singulariter SS. excellunt, hinc his ὑπερδαλεία accommodatur.*

24. Verum sunt, qui omnia se simulant scire, & quid Juno fabulata sit cum Jove, ut Plautus ait, mirum ergò, si & noster Jesuita horum numerum non augeat, tertiusque Cato haberi velit. Unde enim novit 1. Mariam in idem gloriæ subsellium cum Christo quatenus homo esse evectam. 2. Unde novit Mariam Angelis factam superiorem. Scriptura enim eminentissimo inter creaturas loco recenset Angelos Hebr. 1, 3. Unde Epipha. contra Collyridianos: *Si Angelos DEUS adorari non vult, quando minus Anne filiam?* 3. Unde novit excellentias adorationis religiosæ esse fundamentum, & non potius scripturam.

25. Sed si usq; ab stirpe autoritas exquiratur, ad Scholasticos confugiet? Sic enim ipse col. 725. lit. b. l. d. *Scho-*  
la

la Theologorum non sine causa excogitavit illam distinctionem de latria & dulia. Ac nunc demum es bonus, mi Jesuita, cum expressè sis malus. Ais n. Scholasticos hoc discrimen excogitasse. E. 1. fundamentum hujus distinctionis non scriptura sed ratio, quæ infinitos religionis cancellos metiri non debet. 2. Ut nec vox ὑπερδουλείας: sic nec res in Scriptura occurrit. 3. Tot sunt species, ais Jesuita, adorationis, quot excellentiæ. Subsumo (transeat enim vocabulum Speciei, quod certè Philosophicè non est adhibitum) Atqui omnis *Excellentia est vel finita vel Infinita*, tertia non datur. Ergo *Omnis etiam cultus vel Infinitum*, qui soli DEO, *vel finitum* objectum respicit, qui hominibus competit. 4. δουλεία & ὑπερδουλεία sunt cultus medii vel *participativè* vel *negativè*. Non illo modo 1. quia omnis cultus pertinet vel ad primam, vel ad secundam tabulam, intermedius non datur. Ut enim se habent tabulæ præceptorum: sic se habet ipse cultus. Jam verò tabula non datur, quæ communicet cum prima & secunda. E. 2. quia sic si non ἐξ ὅλης ἀληθῶς ἐκ μέρους Idololatricus esset. Neque etiam *per negationem*, quia omnis nostra actio debet esse conformis legi, aliàs ἀμαρτία εἶναι ἢ ἀνομία 1. Joh. 1, 5. Enervat hic medius cultus argumentum pro Deitate Christi & Spiritus S. toties in *aciem* productum. Nazianz. in oratione de Spiritu S. εἰ δὲ προσκυνητὸν, πῶς ἂν σεπτὸν, εἰδὲ σεπτὸν πῶς ἂν θεός, κτλ. Athanas. oratione. 2. Contra Arrianos. 6. πᾶν θεῖον ἀδιαίρετον dixere Veteres. Sed cultus Invocationis est divinus, E.

26. Et quid multis, quum ipse Bellar. nostræ tandem sententiæ socium ac comitem, invitus licet, se præbeat. Confiteretur enim distinctionem hanc nec in *Hebræa*, nec in *Græca*, nec in *Latina* Lingua aliquid soliditatis habere. De *Hebræa* lingua ait: *In Hebræa lingua nullum est, quo propriè designatur cultus solius DEI, sed omnia sunt communia* l. d. col. 724. lit. b. §. Sextò: De latina loco d. *In lingua latina similiter, non habemus ullum vocabulum, quod solum dicatur de cultu Dei.* De *græca* col. 725. lit. a. *In lingua græca una vox est propria cultui DEI, nempe θεοσέβεια, quæ non multum est in usu. Præter istam vocem sunt aliæ quatuor εὐσεβεία pietas, θρησκεία religio, λατρεία & δουλεία servitus, sed nullum horum est, quod non interdum attribuatür creaturis.* Cur ergò tanquam pro aris & focus pro distinctione hac dimicatis, quum ejus origo sit lubrica & θεμελίω πίστεως careat.

27. Quamvis enim id potestatis Ecclesiæ non denegemus, quin ipsi integrum faciamus, vocabula urgente necessitate ad hæreticorum σκληροκαρδίαν refutandam excogitare, qua ratione terminum ὁμοσίας, Trinitatis &c. jam dudum ex libertate Christiana recepimus, tamen quum res in Scriptura non habeatur novos & inusitados terminos ad hæresin palliandam introducere, jamdudum interdictum novimus. Si proinde ex scriptura rem probaret, næ faciles in terminis futuri essemus.

28. Neque igitur est, ut pro hac distinctione confirmanda, ad Augustinum se recipiant, qui si non primus distinctionem inter δουλείαν & λατρείαν (alio licet quàm Papistico sensu) in Ecclesiam induxit, certè tamen  
eam

eam vel maximè expolivit. Siquidem, ut taceam, auctoritatem humanam in articulis fidei constituen-  
dispensi non haberi, tamen cum Augustino ὁμοία Pa-  
picolæ λαλῶσιν, ἀνόμοια δὲ φρονῶσιν, ut veteres de hæreti-  
cis. Distinguit enim I. Augustinus servitutem vel cul-  
tum & honorem in genere in servitutem religionis,  
quam vocat λατρείαν, & servitutem charitatis, quam  
δουλείαν. Sic enim expressè lib. 1. de Trin. c. 6. *Maxi-  
mè verò illo loco satis claret, quod Spiritus S. non sit creatura ;  
ubi jubemur non servire creaturæ, sed creatori. Non enim  
eo modo, quo jubemur per Charitatem servire invicem, quod  
est græcè δουλεύειν, sed eo modo, quo tantum DEO servitur,  
quod est græcè λατρεία. Et epist. 49. Creatori uni debetur  
servitus religionis, illa quæ uno nomine latria Græcè adpella-  
tur. 2. Augustinus δουλείαν illum cultum, qui ho-  
minibus in hoc miseriarum valle viventibus debetur,  
nominat. Sic enim ait: *Colimus ergò martyres eo cul-  
tu dilectionis & societatis, quo & in hac vita coluntur san-  
cti DEI homines. lib. 20. cont. Faust. 3. Ulli Sanctis cul-  
tum religiosum offerendum esse ἀποτόμως negat Aug.  
Non sit nobis, inquit, religio cultus hominum mortuorum,  
quia si piè vixerunt, non sic habentur, ut tales querant hono-  
res, sed illum à nobis coli volunt, quo illuminante, letantur  
meriti sui nos esse consortes. Honorandi ergò propter imita-  
tionem, non adorandi propter religionem. Si autem malè  
vixerunt, ubicunque sint, non sunt colendi.**

20. Quis igitur non videat, quod ἄλλο μὲν γλαύξ ἄλλο  
κορώνη ψθόγγηται, seu quod Augustinus à sententia Pa-  
pistarum vel maximè abhorreat. Siquidem Augu-  
stinus honorem in servitutem religionis & servitu-  
tem

tem

tem charitatis. Jesuitæ verò servitatem religionis in λατρείαν & δαλείαν dividunt. Non secus ac si aliquis animal in rationale & irrationale, alius verò animal rationis particeps in rationale & irrationale dispescens, contenderet, se è primo distinctionem hanc hausisse. 2. Sanctorum cultum à viventium gradu non specie differre ait. Bellarmino v. religiosus Sanctorum cultus ab hominum viventium specie differt. 3. Sanctos religiosè colendos negat, Papistæ asserunt. Quæ igitur Bellarmini & Augustini consensus? Licet nos potius ex scripturis & ex Patribus græcis de hac distinctione judicandum putemus,

30. Sequitur jam Synonymia, quæ vel Hebræa, quò & Syram reduco, vel Græca, vel Latina. De quibus paucis. Cùm verò Hebræi vel nulla vel certè pauca habeant composita, exceptis propriis, hinc vocabulum, quod Idololatriæ ex asse respondeat, vix dabis. Effert verò Spiritus S. Idololatriam sæpissimè idoli nomine. Vide Deut. 32, 21. 1. Reg. 16, 13. Prov. 30, 8. Jerem. 14, 14. Jesa. 16, 18. &c. Ezech. 14, 4. περιφραστικῶς effertur & dicitur מִכְשׁוֹל עוֹן. Syri nominant טעוּתָא ex טעוּתָא fellit, oblitus fuit דַּפְתְּרָא פּוֹלְהֵנָא cultus idolorum Gal. 5, 20. דַּחְלָתָא פְּהַבְרָא Coloss. 3, 6. פּוֹלְחֵנָא דַּשְׂמָרָא cultus dæmoniorum, 1. Pet. 4, 3.

31. Frequentissimè verò in sacra Scriptura Idololatria nominatur חֲזֹנוֹת, זָנוּת, זָנוּת. Vide ex multis pauca Exod. 34, 15. 16. Deut. 31. Jud. 2, 17. & 8, 27. 2. Reg. 9, 12. 1. Chron. 5, 25. Es. 1, 21. 23. 16, 17. 57, 3. Ezech. 16, 15. &c. Quas voces LXX. nomine πορνείας verbumque ὡς πλεῖστον majoris emphaseos ergò voce ἐκπορνεύειν donarunt,



runt. Latinis usitatissimum est FORNICATIONIS vocabulum, quod à fornice, opere concamerato & obscuro (est n. ex Furno) ubi prostitutæ pudicitiae mulieres exponuntur, derivatur. Hinc Juven. Sat. 3. *lenonum pueri quocunq; in fornice nati.* Horat. l. 1. Sat. 2. *in olenti fornice stantem,* dixit prostibulam in ganeo. Alii dictum putant, q. phos vel formæ, id est, animæ necatio, rei effectum non vocabuli etymon exponentes. *Fornicari* verò voce passiva apud Plin. lib. 16. 42. *incurvari* significat: Palma è contrario fornicatur, id est, incurvatur. Ex quibus facile augurari poteris *σεμνολογία* hanc phrasin non esse desertam. Vide de voce Fornicandi doctè Perottum differentem. Comparationis autem membra, quæ plurima dari possint, vide apud B. Meisnerum, Præceptorem olim meum honorandum, nunc verò *ἐν ἀγίοις* sup. Ose.

32. Sequitur græca *εἰδωλομανία*, & *εἰδωλοδουλία*. *Idolomania*, dicitur & *εἰδωλομάνεια*, est insanus Idolorum cultus ex *μαίνομαι* insanio, Eustath. ex *μάω*, id est, *λίαν ἐπιθυμῶ* deducitur, quod ex bacchante, ut Plautiffem, insanum reddat. *Idolodulia* ex *δουλεύω* servio, quæ vox antiquam sibi vindicet originem, nescio; apud eos enim autores, ὃ φρ' εἶπω γὰ με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι κελεύει, quos quidem me legisse memini, salvo tamen doctiorum iudicio, quibus etiam libenter cedemus, si contraria protulerint, hoc vocabulum non legi. Esse verò *ἰσοδυναμῆντα* probo 1. quia partes ex quibus componuntur sunt æquipollentes. Nunc enim *λατρεύειν*, nunc *δουλεύειν εἰδώλοις* interdicitur. 2. Quia definitione conveniunt. Sic enim Tertull. lib. de Idol. 1. superius laudato: *Inde Idololatria omnis circa Idolum famulatus*

C

mulatus

*mulatus & servitus.* Quæ verò definitione λόγῳ τῆς ἰσίας, ut Aristoteles loquitur, conveniunt, ea inter se conveniunt.

33. Bellarminus a. l. d. Col. 725, lit. C. excipit omnes veteres cultum *falsorum DEorum dixisse Idololatriam non Idoloduliam, quia viderint cultum DEO proprium vocari λατρείαν, non verò δολείαν.* Verùm fundamentum esse falsum superius vidimus. 2. ab historica veritate non argumentamur negativè. 3. Unde Bellarmin. probabit nullum unquam Patrem hac voce in determinando cultu Idololatrico esse usum? Num omnium libros evolvit? num novit ea, quæ Veteres dixere, licet literis non sint mandata? Mirùm nisi Patribus in pera fuerit, ut Plautissem. 4. Unde nobis comprobabit Bellarmin. hanc vocem non fuisse in illis Patrum ἀπογραφαίς, quæ periére. 5. Et quid, si Interpretes non ad omnes commoditatis articulos animo excubuerent, & latinè *servitus Idolorum, quid aliud quàm ειδωλοδολεία?* &c.

34. Accedo nunc ad Latinam, ubi, quum Fornicationem superius viderimus, nunc tantùm Superstitionem adduco. De superstitione pluribus agunt Scholastici, in primis Thomas 2. 2. pt. 92. art. 2. Et quoad Etymon juxta Isidorum (vide advers. Turn. lib. 10. c. 26.) *est superstantium rerum i. e. Cœlestium & divinarum, quæ supra nos stant, inanis & superfluus timor.* Sic enim illud Lucret. lib. 1. *horribili super aspectu mortalibus instans,* explicant. Vid. Serv. lib. 8. Lactant. verò lib. 4. instit. div. sic ait: *Superstitiosi vocantur, non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus) sed aut ii, qui*  
super-

*superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites celebrant imagines eorum domi, tanquam DEOS penates &c.*

35. Duplex verò genus superstitionis constituitur. Unum si quis etiam in Novo T. ob nimium timorem carne suilla sibi interdiceret, sanguine uti nollet, mundationibus leviticis uteretur &c. Alterum, quo verus cultus DEO denegatur, vel divinus creaturæ vel DEO & creaturæ simul tribuitur, vel certè quando ex quadam *εὐλαβείᾳ* DEUS aliter ac sese in verbo revelavit, honoratur. Unde Superstitionem egregiè definit Jodocus Lorichius D. & P. Theol. in germanico scripto de Superstitione (excusus est Coloniae anno 601.) *Uberglaub ist ein Laster oder Sünde / wenn entweder Gott auff unordentliche Weise vermeintlich geehret / oder sein Ehr und Würckung einem andern Ding zugemessen wird. Cum qua posteriori specie imprimis Idololatria consentit.*

36. Nunc, bono cum DEO, ad Homonymiam accingimur. Sumitur verò vox Idololatriæ *vel latè*, qua ratione omne, quod hominem à DEO separat, idololatria dicitur, *vel propriè*, qua ratione non solum ab aliis peccatis & vitiis discernitur, sed & *κατ' ἐξοχήν* primi præcepti vitium dicitur. Hinc Cyprianus ad Fortun. de exhort. martyrum c. 2. scribens, *Idololatriæ opponit illud primi præcepti officium, quod solus DEUS colendus sit. Et iterum vel est crassior & apertior, vel subtilior & magis obscura.*

37. Apertior & crassior committitur, quum religiosè & cultu divino colitur id, quod non est DEUS.

Quam Ethnicorum Idolomaniam & Judæorum κακοζηλίαν Pontificii nobiscum damnant, licet ab eadem ne latum quidem ungvem desint, ut postea demonstrabitur.

38. Est verò hæc vel *Externa* vel *Interna*. *Externa* committitur, quum signis externis rem vel ἀψυχον vel ἐμψυχον ὁμως μὴ ἴσαν θεόν religiosè colimus. Ab hac Idololatriæ specie sese immunem prædicabat Job. Jobi XXXI, 26. Si vidi Solem &c. & deceptum fuit in occulto cor meum, & osculata est manus mea os meum, ut juxta fontes reddit Drusus in observ. Fuit enim Veteribus in more positum, ut fanum aliquod prætereuntes reverentiæ ergò manum ori admoverent, atque ad osculum referrent. Minutius Felix in Octav. *Cacilius simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum ori admovens osculum labiis pressit.* Et Apulejus apol. prima: *Si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.* Unde Mardochæus extremum vitæ fortunæque discrimen subire maluit, quàm coram Haman genu succiduo procidere, ne homini gloriam DEI offerret, neve quem præter DEum suum adoraret, ut ipse in precatatione sua testatur.

39. Falsum verò est illud Jesuitarum & in primis Gregor. de Valent. disp. 6. q. 2. de Idololatria punct. 1. asserentis, quod Idololatria tunc demum committatur, quando creature divinus honor tanquam DEO offertur. Quod puncto 3. explicat, quod is tanquam DEum colat creaturam, qui ei cultu quodam quantum in se est velit opinionem conciliare talem, qualis revera in Solam DEI Majestatem competit. Unde puncto 6. colligit, Romanos non fore

fore

fore idololatrias, cum tale quid non audeant. Hinc Pistorius in hodog. p. 292. primam falsitatem testatur esse, quod ex imaginibus Romani faciant Idola, quum nullam eis divinitatem attribuant.

40. Verum si dum demum Idololatria committitur, quando divinitas creaturæ, quod annon faciant inferius dicendi campus restat, affingitur, næ exsultandi ansam habent Ethnici, qui Idola tanquam DEum venerati non sunt. Vid. Arnob. lib. 6. contra gentes. Næ grandi peccato sese commaculavit Mardocheus, cum citra divinitatis opinionem Hamanem potuerit adorare. Næ Judæi & omnes omnino idololatræ amplum excusandi campum invenient, quod idolis divinitatis opinionem in se non conciliarint. Speciem ergo crassissimæ Idololatriæ describit, non integram Idololatrias latitudinem exhaurit. Et mirum quod Clodius Clodiæ vir, id est, frater, erravit enim in eo semper Cicero, ut ipse testatur, hoc effugium nesciverit, eamque, quum ob adulterium esset accusata, non eo colore excusarit: Quod Metello ut marito, sibi ut fratri corporis usuram fecerit, sicque adulteram, non fore. Exploſus esset, sat scio. Vid. Cic. pro M. Cælio.

41. Verum nec latuisse hæc veteres idololatrias vel ille Epiphanius locus (videatur Scaligeri Elench. Trihær. Serarii c. 27. p. 216.) docere nos potest. Sic enim ὑποκριτὰς δὲ δίδασκει φήσας μὴ εἶναι αἰμαρτίαν, εἰ καὶ παρατύχοι, εἰδῶλα προσκυνῆσαι καιρῶ ἐν τῷ ἀντιδιωγμῷ, εἰ μόνου ἐν τῇ συνειδήσει μὴ προσκυνήσῃ. Καὶ ἔτι δὴ ἀνὸς ὁμολογήσῃ ἐν σώματι, ἐν δὲ τῇ καρδίᾳ μή. Μάρτυρα δὲ τινὰ παρρησι-

Φέρων δὲ αἰχύνεται ὁ ἀπατεῶν, λέγων, Φινεές τινα ἱερέα τῶν ἀπὸ γένους Λευί τε καὶ Λαζών καὶ τῆ ἀρχαίᾳ Φινεές ἐν τῇ βαβηλῶνι ἐπὶ τῆς βαβηλωνίας προσκυνήσαντα τὴν Ἀρτεμὴν ἐν Σέσοις διαπεφευγένα ὄλεθρον θανάτου ἐπὶ Δαρσίᾳ τῆ βασιλέῳ.

42. Et hoc in loco commodè adponi posse judico, ceremonias, quibus Veteres idola sua colebant, quum cum Papistarum consentiant. Adducemus verò tantum quasdam, quæ in codice scripturæ observari possunt. Primò enim Idola consecrabant Dan. 3, 23. II. amiculis, gemmis, coronis exornabant Baruch. 6, 5, 9. 50. III. cereis & cantionibus venerabantur Baruch. 6, 18. 30. 42. Ose 13, 2. IV. oscula eis figebant & sacrificia offerebant Psal. 106, 38. 2 Reg. 22, 17. Jer. 44, 8. Os. 11, 2. V. templa & altaria erigebant Amos. 2, 8 Ezech. 13, 39. Jer. 11, 13. VI. Juramenta & vota eis nuucupabant Sap. 14, 29. Bar. 6, 34. Amos. 8, 14. VII. de loco in locum transportabant Jer. 10, 5. Bar. 6, 4. Es. 46, 67. VIII. procumbendo supplicabant Es. 44, 15. 17. 19. Dan. 3, 5. 7. 15. Flamines & sacrificulos constituebant Dan. 14, 9. Jud. 17, 10. 11. 1. Reg. 12, 31. 1. Reg. 8, 18. Zephan. 1, 4. 43. *Interna* fit quando aliqua divinitatis opinio creaturis conciliatur, quod fit *DEOS nominando* 1. Reg. 12, 33. *pro patribus agnoscendo* Jer. 2, 27. *iisdem extra DEI verbum benedictionem vel temporalem vel spiritualem ascribendo* Gen. 30, 12. 1. Reg. 5, 7. Jer. 44, 17. 25. Ex quibus locis ita ὀφθαλμοφανεῶς patebit. Quod ille qui divina dona creaturis ascribit, ex iis faciat Deos.

44. *Subtilior* verò & non adeò crassa idololatria est, quando quidem verus DEUS colitur, sed tamen non eo modo, quo colidefiderat & præcepit. Esse verò ejus modi

modi

modi cultum Idololatricum multis probari potest. Nos *συντόμως* agemus, & cum hoc ipsum lucem disputationi afferat, paucis tanquam in vestibulo & ipsius homonymias evolutione id prælibabimus. Primum verò arietem, quem huic ædificio præpono, desumo *ab ἐθελοθρησκείας natura*, quando primam decalogi tabulam respicit. Hæc enim Idololatriæ species constituitur Num. 15, 39. Quem locum Paraphr. Chald. ita reddidit: Et non fornicemini post cogitationem vestram & post visionem oculorum vestrorum ראתון טען כתר יהון quod vobis Idolum (hoc enim sensu טען hinc inde usurpant) post illa, Deut. 12, 30. Item 1. Sam. 15, 22. quem locum cum emphaticos protulerit Par. Chald. non possum, quin ex ea adducam. Sic verò ait: וכחובי עמא רטען בתר טעותא כן חובת כל אנש דמוסיף: Et sicut culpa populi qui post errores (s. Idola) errat sic culpa omnis, qui addit super loquelas Prophetarum. Ex quo *ἀδιαλύτως*. Quicquid est species Idololatriæ, illud ipsum est Idololatria. Requirit n. hoc generis & speciei proprietas, de qua in Logicis Jam v. cultus electitii contra primam tabulam sunt species Idololatriæ, E.

45. Secundum argumentum desumo *ab omnimoda ἐθελοθρησκείας interdictione*. Deut. 12, 8. Es. 1, 12. c. 18, 20. Es. 29, 13. Mat. 15, 9. Ex quibus: Quicquid à Deo simpliciter, tanquam abominabile, impium rejicitur, illo quando Deus colitur idololatria committitur. Rationem consequentem firmam puto. Non n. tunc Deus sed figmentum mentis colitur. At *ἐντάλματα* humana tanquam impia, abominabilia à DEO rejiciuntur. E. Min. est in textu Esa. n. 1. v. 12. nominantur ejusmodi sacrificia תועבה און שוא, quæ  
de

de idolis usurpantur, ut notum. Matth. 15. dicitur  
 μάτην Syr. תיקוּתא [quod à תיקוּתא vanitas, im-  
 pietas Actor. IV, 25. Rom. I, 28. c. VIII, 20. Ephes. IV,  
 17. quod iterum à קרע evacuavit [Arab. furari] dedu-  
 citur) & idem est quod ἀδίκως, ἀσεβῶς impiè, injustè  
 Prov. I, II. 46. Tertium argumentum *desumo à sana ra-  
 tione.* Quicumque enim contra primum præceptum  
 delinquit, is Idololatriam admittit. Ratio consequen-  
 tiæ, quia Idololatria Primi præcepti in specie vitium  
 dicitur. Sed qui suam opinionem scripturæ præfert,  
 is peccat contra primum præceptum. E. Minorem  
 probo, quia DEUM πάντων σοφώτατον non statuit. Aut  
 enim cultum illum DEUS verbo manifestare potuit aut  
 non potuit. Si hoc, impotentia arguitur, quod ἄθεον.  
 Si illud, aut voluit aut noluit. Si noluit, invidia & ma-  
 levolentia accusatur, quod βλάβος φημιον. Si voluit, uti-  
 que etiam fecit. Quod tamen demonstrari non potest,  
 uti in subsumptione inferius patefcet.

47. Quartum *desumo ab exemplorum inductione.* Quæ  
 iterum in duas distribuo classes 1. eorum, qui cultum,  
 à Deo nullibi institutum, introduxere. 2. illorum qui  
 cultum DEO in se gratum & mandatum exhibentes  
 ob circumstantias tamen & adjacentia quædam Idolo-  
 latrias notam sibi inusserunt.

48. Ad primam classem revoco 1. μοχολατρείαν quæ in  
 deserto Exod. 32. quæ in Bethel, 1. Reg. XII. γλυπτολα-  
 τρείαν Michæ, Iudic. 17. & 18. Idololatriæ omnes sanio-  
 res hætenus eos accusarunt. Verum autem DEUM  
 sub his speciebus eos cultum venisse, facile probari po-  
 test. Micha enim, ut ὕστερον πρότερον agam, non solum  
 primò



primò matri ejusmodi quid tentanti assurgere noluit, verùm etiam tum demum se Tryphonis spelunca exivisse purat, quando sacerdotem Jehovah nactus. Ita enim ipse v. ult. c. 17. nunc novi, quod mihi Jehovah (quod nomen in sacra Scriptura soli D E O vero tribuitur) sit benefactor, quum sacerdotem Domini habeam. De μοχολατρεία in deserto superius etiam dictum fuit, & res adeò certa, (quum creditu sit absurdum, viros tantæ pietatis & sanctimoniam in illam abiisse sententiam, ac si Idolum illud, quod modo ex inauribus suis conflant, eos ex Ægypto deduxisset (Αἰξ ἔπω τέτοκεν, ἔριφθ δ' ἐπὶ δώματι παίζει. Capra nondum peperit, hædus autem ludit in tectis,) ut ipsi Bellarmino hoc non incredibile, cum multis aliis papisse quis, videatur. De μοχολατρεία in Bethel & Dan res etiam expeditu erit facilis. Quis enim crederet Jeroboam adeò Judæorum oculos perstrinxisse & dementasse, ut licet optumè in fide informati, statim tamen ab ea non solùm resiliirent, verùm etiam vitulos esse Deos crederent? 2. Contrarium Josephus, cui hac in parte fides denegari non potest, l. 8. Antiq. Jud. c. 3. testatur, ubi orationem Jeroboam, qua populo novum Dei ubique præsentis cultum à se erectum plenis buccis laudavit, adducit. Vide l. d. 3. Jehu cum Baaliticis ventres internecioni daret, ut hæc ex aliis adducamus, pronunciarum jubebat, ne quis sacerdos Domini (quos Jeroboam constituerat) eis se immisceret 4. Zelo Domini æstuans effecit, quod Dominus mandavit, licet ob politicas rationes Jeroboami Idololatriæ non omnimodè repudium miserit.

D

Quod

Quod certè non fecisset si vitulos pro Diis habuissent, Et quæ quæso est causa, quod Ahab plus quàm Jeroboam peccarit, 1 Reg. XVI, 31. nisi quod hic & Ethnicos Deos simul introduxit. Hinc in Psalmis dicuntur gloriam suam i. e. Deum in similitudinem bovis (non bovis in Dei) transmutasse, quod contra Jesuitas noto.

49. Huc etiam referenda παιδοφονία Mich. VI, 8. Quum n. Judæi qua ratione DEUM placare possent, an sacrificiis, an primogeniti oblatione, quærerent, Propheta non solum ipsis jam dudum dictum, quod facere debeant, repetit, sed & artificiosè integram legis summam complectitur. Hos v. suos filios non DEO, ad quem intentio referebatur Judæorum, qui Deum Baalim vocabant, sed dæmoniis obtulisse ex Psal. CVI, 36. apparet. Oritur proinde ex hoc hæc regula: *Quæ Judæi citra mandatum Deo offerebant, iudicio DEI Diabolo obtulerunt*, qua ratione plurimorum dictorum, quæ contrà, quod Diabolo, idolis, dæmoniis &c. non DEO obtulisse dicantur, objici à Jesuitis solent, solutio patet.

50. Venio nunc ad alteram classem exemplorum, Et quidem sacrificia à DEO esse mandata, nemo negat: tamen Judæi Idololatriæ insimulabantur, quando vel loco non mandato, ve etiam meriti opinione ea incendebant. Offerebant enim ut τὸν τῆν θεῶν ἐρευνῶντα latere non potest Patriarchæ variis in locis, Abraham juxta Bethel Gen. XII, 18. in Moria Gen. XXII, 2. Isaac in Bersaba Gen. XXVI, 25. Jacob in Sichem Gen. XXXIII, 20, Bethel Gen. XXXV, 1. 3. 7. Isra-

Israelitæ in deserto hinc inde Ex. XVII, 15. XVIII, 2. XXIV, 5. Levit. IX. & X. Verùm postquam DEUS locum suæ requiei designasset, non solum intercessionem erat dandus, qui non in foribus tabernaculi sua munera offerret Num. XV, 39: Sed & secus facientes Idololatriæ criminis convincuntur à Propheta Jer. II, 20. III, 6. Assæ quoque & Josaphato Regibus pietissimis non levi brachio vitio datur, quod licet idola confregerint, integrum tamen populo reliquerint ut in collibus adhuc sacrificaret I. Reg. XV, 14. I. Reg. XXI, 44. Judæos v. non dæmoniis in montibus cultum detulisse, non solum regum horum pietas, verùm & scriptura 2. Paral. XXIII, 16. 17. ipsiq; Iudæi se Baalim non adhærere sed DEum juventutis suæ magistrum agnoscentes Jer. II, 23. c. III, 4. liquidò confirmant. Sic cùm Saul, quum non esset è tribu Levi, sacrificaret, eo nomine rejicitur, quod in persona delinquens, non ἀκριβῶς κατὰ πρὸς τὰ ἔχαια mandata DEI observavit I. Sam. XIII, 12. 13. 14. Nolle enim obedire idololatria est I. Sam. XV, 25.

51. Et ut ἀχαλιῶν σομάτων ἀφροσύνην seu futilitatem Jesuitarum, qui nullo rerum pondere innixi, verbis humidis & lapsantibus defluunt, eò fortius constringam, ne rimam elabendi, dicentes, *hoc vel illud in mandatis quidem datum non esse, nec tamen etiam expressè interdictum fore*, sicut in hoc elumbi asylo tanquam in sacra anchora omnibus Jesuitis, quum scripturis urgentur, spes fixa sedet, inveniant, non solum ipsis antiquitate confirmatum Canonem: *Quod scriptura in rebus fidei tacet, tacendo negat*, oppono, sed ex Marc, VII, 5. 6. 7.

illis ita infurgo. Erat in lege divina præceptum, ut, qui immundus erat, se & vestes lavaret. Pharisei verò, quin & ipsi Halidæi sequentes הורו בעל הפה legem oretenus traditam & νόμον ἀγραφοῦν, quam legem ex monte Sina simul per קבלת חכמים se accepisse gloriabantur, addebant (ut videlicet puritati nunquam non studerent) ne quis cibum χερσὶν ἀνίπτοις caperet, secusque facientes vocabant κοινὰς. Vid. historiam apud R. Manach, in Mosem 198, 4. Neque expressè hoc in specie erat interdictum, nec etiam bonis moribus adeò inimicum, attamen quia ex necessitate & sub cultus ratione postea urgebatur, per id legem DEI enervasse, frustra DEO servivisse à Christo dicto I. convincuntur. Ex quibus nos ita: *Si res per se non illicita ἔστι ἀδιάφορος, nec bonis moribus contraria, si sub ratione cultus ἔστι necessitatis urgetur, à DEO ut impia, blasphemica (quia legem DEI evacuat) damnatur, sequitur DEUM nullo modo mandatis hominum coli velle. Sed verum prius. E. etiam posterius.* Ex quo etiam adparet, nec titivilitio esse æstimandum illud Bel. lib. 2 de Rel. SS. c. 4. Col. 778. lit. C. excipientis, *dici voluntarium cultum non ab homine excogitatum sed cultum superstiosum.* Quem cultum ipse lib. 3. c. 8. Col. 891. ita explicat: *dico, ait, cultum voluntarium dici eum, qui sine ratione suscipitur, ut si quis vovet se non iturum ad mensam nisi laverit bis.* Verùm ut taceam *nec talibus superstitionibus carere papatum*, attamen scripturæ argumenta sunt generalia & indefinita & Paul. ἐθελοθρησκείαν λόγον ἔχουσαν τῆς σοφίας Col. II, 23. & πιθανολογίαν V. 3. damnat ac rejicit, ut omnis sapientiæ humanæ rima obstrua.

obstruatur. Vide etiam orationem Jeroboami apud Josephum I. superius dicto, & videbis eum causas non levis argumenti reformati cultus adducere.

52. Meriti opinionem quando sacrificiis affingebant, cedebant etiam ipsis in Idololatriam. Quod certè adeò constat, ut eum talpa & leberide cœciorem esse oporteat, qui hoc non videat. Sic enim Es. 60, 1. & 3. *Quæ est ista domus* (clamabant enim voce plusquam stentorea, heic templum Domini, heic templum Domini, Ierem. VII, 3. ut Papistæ, heic Ecclesia) *quam ædificabitis mihi. Qui immolat bovem, q. qui interficit virum, Qui mactat pecus, q. qui excerebrat canem, Qui offert oblationem, q. qui sanguinem suillum offerat. Qui recordatur thuris, q. qui benedicat Idolo* (Hebr.  $\text{יָדָהּ} \text{quod} \text{כָּאֵר} \text{è} \text{עֲזֹחַן} \text{per Idolum vulgatus reddit.}) *Hæc omnia elegerunt in viis suis.* Hinc ita: Quicumque offert 1. virum interfectum, 2. canem obtruncatum, 3. sanguinem suillum, 4. Idolo benedicit, is idololatriam expressam committit. Sed qui rei à DEO mandatæ vim ex opere operato ascribit, hæc omnia præstat. E. Plura dare possem, nisi ulterius pergendum & ad subsumtionem veniendum. Vide etiam Es. I, II. Ier. XI, 20. &c.$

53. Ex quibus ita positis & probatis vera Idololatriæ definitio emergit talis: *Idololatria est superstitio, qua illud quod DEO proprium creaturis extra DEUM offertur, vel DEUS alio modo ac sese in verbo revelavit ex intentione humana colitur.* Genus est superstitio, de qua th. 32. Differentia sumitur ab *Objecto*, quod 1. creatura 2. DEUS, & à *Subjecto*, quod homo ex intentione DEUM humana colens. Quæ omnia satis probata putamus.

D 3

54. Quis

54. Quis igitur est, qui vel primoribus labris degustavit Theologiam, qui, nec monitus, non videat, Papistas omnes ferè Idololatrias sua Idololatria multis parasangaris superare. Committunt v. Idololatriam 1. *religioso Sanctorum cultu.*

Idololatriam  
committunt  
I. Sanctorum  
cultu.

55. Colunt a. religiosè Sanctos 1. *Invocatione.* Invo-  
cant n. *Angelos.* Sic in Rosario B. Martyr. *Angele qui  
meus es custos pietate superna, Me tibi commissum salva, de-  
fende, gubernas. Terge meam mentem vitiis & labefluentem,  
assiduusq; precor mihi sis relevasq; cadentem.* Sic in Litanis:  
*S. Michael, S. Gabriel, S. Raphael ora pro nobis.* Videatur  
etiam Hortulus animæ. Postilla discipuli de sanctis.  
Pictura S. Michaelis in statera animas ponderante.  
Vide Plazium in lucu succiso errorum Pontif.

56. 2. *Mariam.* Sic n. Blasius Viegas in 12. Apoc. p. 543.  
*Maria constituta est super omnem creaturam & quicumq; Je-  
su curvat genu Matri quoq; pronus supplicat, & Filii gloriam  
cum matre non tam communem iudico quam eandem.* Sic Ec-  
clesia ad Deiparam confugiens & anhelans ubiqve &  
quotidie ei occinere solet, ut in fit Sandæus Jesuita p.  
429. libro mox nominando, *Salve Regina cæli illos tuos  
misericordie oculos ad nos converte, & Jesum benedictum  
fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende.* Quæ Bell.  
tom. 4. lib. 1. de bonis operibus. c. 15. Col. 1188. 1189. de-  
fendit. Et ne putes modernos Jesuitas ad frugem me-  
liorem se recepisse, adducamus quædam ex Maxim.  
Sandæi Jesuitæ orationibus ad sodales habitis de Pa-  
trocinio Deiparæ A. 1630. Moguntia editis, quæ à su-  
perioribus perlectæ & adprobatae sunt. Vide duplicem  
censuram præfixam. Sic n. p. 38. ait: *O scaturiat in nos  
torrentis instar limpidiss. sanitatis corporeæ & spiritualis un-  
das, quas si patienti sinu recipiamus, refocillabimur, mun-*  
da-

da-

dabimur, curabimur, imò mortui reviviscimus, quoniam *vena vitæ viva est & vivifica vitam tribuit*, p. 8. *Maria salus infirmorum tutare Franconiam tibi commendatam: O Maria salus infirmorum ora pro nobis.*

57. 3. *Reliquos sanctos defunctos, quod adeò clarum est, ut si multis demonstrare vellem, næ illud mihi, quis hoc unquam negavit, occini posset. Sufficiat nobis domesticum testimonium Ludov. Vivis comment. in Aug. de Civit. DEI lib. 8. c. ult. Multi Christiani Divos Divasq. non aliter venerantur quàm DEum, nec video in multis quod sit discrimen inter eorum opinionem de Sanctis & id quod gentiles putabant de suis Diis.*

58. *Esse verò hunc Invocandi ritum Idololatricum multis probari potest. Rectè n. Jesuitis I. opponimus Epiph. cont. Collyrid. Quæ scriptura narravit? quis Prophetarum præcepit angelum adorari nedum mulierem? Non dominabitur nobis antiqua seductio, ut relinquamus viventem & adoremus ea, quæ ab ipso facta sunt, sicut scriptum est, præter creatorem coluerunt creaturam. Edant ergò Pontificii scripturarum monumenta, si iis sunt instructi: Verùm habent & proferunt. Sed quæ? quod in scripturis de hac re altum silentium. Sic n. Eccius in Enchir. de Invocatione SS. Explicite, inquit, non est præcepta SS. invocatio in sacris literis. Eadem, ut & causas hujus omissionis ab Eccio ἀπέσως additas, repetit Salmer. Jesuita Comment. in I. Timoth. 2. disp. 8. ubi respondet, quod in V. Testamento fuisset periculum Idololatriæ: In N. verò durum fuisset id Judæis præcipere & occasio fuisset data Gentibus putandi sibi multos exhibitos Deos &c. Videl. d. f. 473. Col. a. arg. II. rat. 2. plura. Egregia certè doctrina quæ ob Idololatriæ periculum non est proponenda, quæ dura, periculosa.* 59. Idem

59. Idem statuit Tannerus in rel. colloq. Ratisb. p. 2. c. 6. p. 37. *Fateantur, quæso, inquit, si lubet, multa fide infallibili & divina esse credenda, quæ in sacra Scriptura non contineantur nec ex sola evidenter deducantur, & tunc nihil amplius cum illis contendemus, fateantur, inquam, purgatorium, fateantur invocationem SS. cultum imaginum, transsubstantiationem in Eucharistia, communionem sub una tantum specie, peregrinationes ad basilicas Sanctorum, adorationem corporis Christi in Eucharistia & similia multa, quæ Catholici credunt & observant, &c.* Cassander in consult. ad Imp. Ferdin. I. & Maxim. II. edit. Lugdun. anno 1608. p. 139. *Ut nullum mandatum neq; exemplum extat, quo id fieri jubeatur, ita nullum interdictum legitur.*

60. Quin nec primopilus Romani Idoli defensor Bellarm. hoc negare potest, asserens lib. 3. de SS. cultu cap. 9. Col. 894 lit. D. *Sanctis vovendi (ergo & adorandi) morem cum scriptura scriberentur nondum (antiqua certè doctrina, quæ Apostolorum tempore nondum erat usitata, fortè latitabat in scrinio Oecumenici Pontificis, eo tempore non Entis) inolevisse, & l. i. de Sanct. beat. c. 20. non opus esse mandato cum necessitas ipsa nos cogat. Verùm ad articulum fidei constituendum non requiri mandatum in Theologia ante Papistas fando nemo accepit. 2. Necessitatem durum esse telum, meminimus, sed necessitatem extra periculum fingere, est fingere Charybdis absque scopulis & aqua. Proinde Chrysost. meo respondeat loco homil. de profectu Evangelii: Non est, inquit, opus Patronis apud illum (DEUM) neq; ullo discursu ut blandiare aliis, sed licet solus sis patronoq; careas & per te ipsum DEUM preceris, omnino tamen voti*

com-



SS. INVOCATIO.

71

compos eris. Neq; enim tam facile DEus annuit, cum alii pro nobis orent, ut cum ipsi oremus etiamsi plurimis pleni simus malis. 2. Idem & Ethnici obverterunt, ut paulò post.

61. Opponimus 2. quod sic *Honorem Soli Deo proprium creaturis deferant.* Hic enim tantum invocandus Ps. 50. Matth. 4, 10. Deut. 6, 13. Unde Padeborn, in colloq. cum Neo-Evang. *Einen anbeten gehöret allein Gott zu / wie geschrieben stehet Matth 4.* Hæc Jesuita Jesuitis 3. Quod gentes idololatriæ infimulentur à Paulo, quia præter creaturam fervierunt creaturis Rom. 1, 25. iis qui natura non sunt Dii Gal. 4, 8. Et quid multis? in ipso rerum gerendarum cardine destruuntur. Ἀγγελολατρείαι n. non dico implicitè sed explicitè, nō obscuris sed claris conceptisque verbis D. Paulus prohibet Col. 2, 18. *Nemo vobis palmam intervertat volens in humilitate & religione Angelorum, ἡλῶν ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ* (deducta est vox à Thracibus, apud quos Orpheus religionis autor habetur, quæ postea in reliquos græcos sese latè diffudit. Unde Nazianz. ἡ δὲ θρακῶν ὄργια ταῦτα, παρ' ὧν καὶ θρήσκειν ὡς λόγῳ) τῶν Ἀγγέλων. In quem locum egregiè Theodoretus: *Qui legem, inquit, defendebant eos ad Angelos colendos introducebant, dicentes fuisse legem per eos datam. Mansit autem hoc vitium in Phrygia & Pisidia. Quocirca Synodus quoq; quæ convenit Laodicea lege prohibuit, ne precarentur Angelos. Et in hodiernum diem usque licet videre apud illos & eorum finitimos oratoria S. Michaelis. Illi ergò hoc consulebant utiq; (notate hoc Jesuitæ) humilitate utentes, dicentes, universorum DEum nec cerni nec comprehendere, nec ad eum posse perveniri & oportere per Angelos divinam suam benevolentiam conciliare.*

E

Hoc

Hoc autem dixit in humilitate & cultu Angelorum. Cum quo amicè conspirat Syrus, dum ita reddit: Et ne quis velit per demissionem mentis (במכוח) de pressione vel submissione propter paupertatem. Est n. ab Hebr. מכך quod depauperari, attenuari, ac si dixissent, Spiritualiter pauperes estis. E. vos angelis submittatis) culpabiles vos reddere (עמחבתכון Inf. Pael. ex חב reus fuit. Quod ex Hebr. nomine חוב debitor Kimchi in Comment. & R. Sol. exponunt, pignus debiti, quod scil. habebat בוחבו pro debito suo. Hinc apud Rabb. freq. בעל חוב. Esset ergo q. oppigneros facere.) ut subjiciamini (דחשתעברון Fur. 2. Etpa. lel, ex שעבר subjecit, quod ex hebraico עבר, Syrorum n. mosest, in Pael formare verba quadrilitera prepositis חשט, esset ergo, ut vos colentes dimittatis) cultui angelorum &c. Ex quibus adparet quod eadem, quæ papistæ præterdere solent, veteribus hæreticis non fuerint ignota, sicque eandem comædiam mutatis personis in mundo agi.

In: Revo-  
catione:  
Luther.  
Pragæ: a.  
30. excu-  
sa.

62. Sed quid ad hæc Pfuntelius Variscus, qui postquam semel à veritate discessit gnaviter impudens esse pergit, non secus ac si istum thesaurum in lingua haberet positum, melioribus ut malediceret. Verùm levis armaturæ milites proponit: Provocat enim 1. ad Patres, 2. ad consensum Ecclesie, 3. ad utilitatem, 4. ad Scripturam. Benè, mi Pfunteli, quarto demum loco ad scripturam provocas, cur ergo à norma tibi præscripta p. 34. resistemere, nempe vides, quod ex scriptura nil probare possis. 2. Cur Patrum verba Te pudet adducere, cum tamen ad eos provocas? Nempe sunt homines: *καταυθησιασ μένοι τήν ιδίαν σφειδησιν.* Sed, dices, in margine pro-  
vocaui

*vocavi ad Centur. Magdeb.* Mirum non est aliorum libros negligenter tractare hominibusq; glaucoma objicere eum, qui propriæ salutis est perditor. Nihil n. eo loco invenio 2. dubito an ullus ex Nazianz. in tota hac Cent. V. locus adducatur, 3. Notum in vulgus, Magd. diversorum seculorum patres diversis centuriis inclusisse. Quæ Te igitur Pfanteli dementia cepit, ut ad idem seculum referres, de quib9 in diversis Centuriis Magd. ? nempe locum non vidisti, neq; Centuriarum formam & dispositionem nosti, & tamen masculè ad eas provocas. Fingis, refingis, quicquid in buccam venit. Neque etiam si vel maximè, quod tamen negatur, Patres hoc assererent, eorum autoritas articulum fidei constitueret, quum Patres Patribus opponere possemus.

63. *Verum 2. ad consensum Ecclesie provocas?* Egregiè Et hoc faciunt fraterculi isti tui novi, cum quibus modicum salis nondum comedisti, *Gregor. de Val. & Costerus.* *Verum cujus Ecclesie? num Christi & Apostolorum?* Minimè. Horum n. & Catholicorum consensus scriptura nobis aperit, & Catholicus esse non potest, qui cum Christo non congregat, *Sed Romana.* Et sic insulsè disputas. Adoratio SS. apud Rom. est licita, Quia Romani & imprimis Papa (huc n. tendit Ecclesie tandem analysis. *Greg. de Val. tom. 3. comment. in Thom. p. 24. Bell. lib. 4. de Pont. c. 2. & lib. 2. de Conc. c. 17.* hoc asserunt. Non secus ac si ita argumentarer: *Pfuntelius bona pace suis quatuor functionibus valedixit. Quia Pfunt. asserit.* Admissi risum quæso teneatis amici, Nescio enim quid Plavienses murmurent.

64. Attamen, inquis. *Eccles. dicitur columna veritatis,* 1. Tim. 3, 15. Quid tum Pfanteli? E. vestra malorum collegiis Pontifex Romanus (hunc n. Ecclesie nomine

intelligunt) est ista Ecclesia. *λίαν μέγα ζήτημα*, Prius probes, Tuam Ecclesiam esse veram, quam ei hoc adplices. Dicitur v. Ecclesia *ἐδραίωμα καὶ σὺλῶς τῆς ἀληθείας* non *architectonicè sed politicè*, quod in ea divinæ veritatis tabulæ affixæ sint. *ἐδραίωμα* enim ratione etymi *sel-lam* & repositorium notat ab *ἐδραίων* confidere facio. *Ἔδρα* sedes. Syrus egregiè *στην ἀ* radice *στην* stetit & notat propriè statuam, cui quid affigitur. Ac hanc interpretationem esse legitimam hoc etiam syllogismo probo: *Quicquid est ἐδραίωμα τῆς ἀληθείας, illud nullo modo deficere potest. Sed Ephesina Ecclesia sic nominatur. E. nullo modo deficere potest. Conclusio est absurda & contrarium testantur Papicolæ & experientia. E. vel Major vel Minor erit falsa. Non Minor, loquitur enim de ea Ecclesia cui Timotheus erat propositus, in qua ambulabat, quæ erat Ephesina particularis. E. Major ἀπλῶς vera non erit, sed addita limitatione, quando verbum DEI sequitur & conservat. Lutheri testimonia addis, sed nec verba nec locum adponis. Forsitan sunt tuæ artis principia, de quibus p. 27. in margine, i. e. mendacia. Cum enim sigilles eo loci virum quendam nobilissimum & optumè de Ecclesia Christi meritum, probationesque te deficiant, in margine adponis: Sunt principia artis. E. Cum Aristot. non debent probari. Eximiè, mi Pfundeli. Perge ita ne ingens Ecclesie Papistice decus fies. Quæ enim artis tuæ antiqua principia? Nempe calumniare audacter, semper aliquid hæret. Manet enim cicatrix ut maximè vulnus, qui delatus est, sanet. Quam sui calumniandi studii causam habuit Medius parasitus, Diabolo impudentior. Mendaciis v. si felix esse poteris, nã beatissimus in terra cum Papa tuo vocaberis. Desine au-*

tem maledicere malefacta ne noscas Tua. Domi enim, ne foris quæras, si habitaveris, amplam in te dicendi materiam invenies.

65. Verum utilitatem, ais, 3. habet egregiam. R. 1. verbis Theophili Alexand. serm. 2. Pasch. (Vid. Meiln. in Anti-Lessio) *Diaboli Spiritus est extra scripturarum sacrarum auctoritatem divinum aliquid putare.* 2 Idem & gentiles responderunt. Aelius enim Spartanus refert cæcum quendam corpus Adriani tangentem subito visum recepisse. Aventinus Annalium Bojorum confignator l. 3. refert, quod Rupertus Boiis religionem Christianam persuadere voluerit, ipsi vero eam amplecti renuerint, vociferantes, se non posse deserere avitas ceremonias, quæ ipsis tot triumphos præstitissent, & hanc novam religionem adversam esse viris fortib., & rei bellicæ studiosis &c. Romanos, quod à veteri numinum cultu desciverint, hostibus suis inferiores esse &c. Vide quæ lib. 4. de Ecclesia c. 14. Col. 207. Bellarm. etiam habet.

66. 3. Ex miraculis doctrinam hodie probari non posse vel Bell. lib. 1. de Gratia c. 10. Col. 498. Item lib. 4. de Ecclesia c. 14. Col. 214. lit. b. docere te poterit, 4. Scriptura Antichristo signa & miracula tribuit, 2. Theſ. 2. 7, 5. Tui gregales conficta esse vestra miracula confitentur Ludov. Vives. Erasmi. Roterod. in ep. ad Archiep. Moguntiensem, quæ præfixa est method. Theol. de vitis SS. p. 9. miracula vestra siculis gerris vaniora nominat. Cassander l. d. p. 154. & 157. *imposturas, figmenta,* Commenta &c. nominat. Proinde Thomã diligentius evolve & disce distinguere inter illud, quod est  $\epsilon\delta\acute{o}\xi\alpha\nu$  & quod est  $\kappa\alpha\tau' \alpha\lambda\eta\theta\epsilon\iota\alpha\nu$ .

67. 4. Ais: Paulus Sanctos in terris invocavit Col. 4. 2. 2. Theſſ. 3. 1. quidni ergò  $\epsilon\sigma\tau\iota$  in cælis? Verum Africa &

Apostata semper aliquid novi portant. Cur ergo homines viventes vocas Sanctos, quum id Tui sodales, stultè quidem, perpetuo negent, nullumque nisi mortuum & quidem Canonizatum sanctum vocent, excepto Papa. Vide Salm. tom. 13. p. 304. edit. Colon. 2. Extra oleas saltas & amphora cœpit institui at currente rota urceus exit. Agitur n. *de religiosa* & quidem absentium invocatione. Tu v. exemplum de promissis à συγγερόνιοις qui vel per λόγον προφορικόν vel γεγραμμένον vel alium modum se ad mutuam Charitatis officium provocare possunt. 3. Nulla connexionis vis. Illius nullum præceptum, exemplum: hujus præceptum 1. Tim. 2. 1. *Promissionem* Gen. 20, 7. *exempla* Act. 27. Rom. 13. habemus. Nec 5. sequitur: orat pro me. E. debeo eum invocare, quum præsertim de speciali pro me intercessione certus non sim. Christiani in Turcia procul dubio pro Ecclesia orant. E. sunt invocandi? Nec 6. Paulus dicitur invocasse SS. Unde argumentum in verto: Si Sancti in terris non invocantur, utique nec in cœlo.

68. Sec excipis 1. quod licet concedas ad Sanctos in V. Testamento nullam unquam directam fuisse δὲ λείαν, (erant n. ut in margine adponis in limbo Patrum) tamen rem secus se habere in N. T. ubi nostra suspiria & desideria cognoscere possint, quum sancti in hac vita aliorum malitias sciverint. 2. In Deo tanquam in speculo omnia videant. R. 1. Limbum Patrum Papistarum esse figmentum, alibi demonstratur. 2. Si nulla ad Sanctos in V. T. unquam directæ fuit δὲ λεία, cur eam Papisse quæ ex V. codice in primis probant. Vide igitur quàm levem Te tuis concilies. Bellarm. in lib. 1. SS. beat. c. 19. tantum ex V. T. adorationem probat. Padeborn. ex Job. 51. 19. 21. Idem Tui simitiss apostata

apostata videl. Pistorius in Hodoget. facit. Aut igitur, ut reliquos tacitus præteream, concedas hos nihil ex V. T. probasse, aut dicas te errasse asserendo, quod nulla in V. T. ἀγλαία ad Sanctos fuerit directa. Ex non Ente enim quomodo Ens probabunt? 3. Eliam & Henoch certè spelunca ista Patrum eximunt, cur igitur eos non adorarunt? 4. Clodius religionem in Ciceronis domo neglectam esse conquerebatur, quum ipse pulvinarib. Bonæ Deæ stuprum intulisset: eandem cramben Pontificii tuirecoqvunt. Sanctos enim nos de honestate hinc inde conqueruntur, nec ferre possunt, ut defuncti & dormientes, ut scriptura de mortuos vocat, nominentur, ipsi interim I. non solùm Sanctos V. T. in carcerem tenebrosum detrudunt, verùm & II. ut Deus omnibus in Christo quiescentib. locum refrigerii & pacis indulgeat, (Pii v. bulla, cui nihil addendum detrahendum unquam, vide eam si lubet) de ore leonis liberet, ne absorbeat eos tartarus, orant. Quæ verba quidem Bell. rom. 3. lib. C. 25. Col. 956. lit. d. ad eos, qui in purgatorio (fario isto igne) exercentur: Verùm sunt generalia & restrictionem non patiuntur. Proinde Apostatæ hunc syllogismum propono: Omnibus, qui in Christo quiescunt, Papistæ locum refrigerii lucis & pacis precantur. Omnes sancti & fideles quiescunt in Christo. Theff. 4. 14. Apoc. 14. 13. E. & per Conseq. Sancti nondum sunt perfectè, ex thesi papistarum, beati. III. Veris Sanctorum legendis, Sacra videlicet Scripturæ, hominibus interdiciunt. IV. Veteribus & Compertis sanctis neglectis novos & incognitos colunt, de quorum Sanctitate obscurius constat, quin an unquam in rerum natura fuerint, meritò dubitatur, quorum

quorum

quorum cultum figmentis a historiarum, & impostura miraculorum mirifice auxerunt, ut latius diducens ipse Cassand. in Conf. C. de intercess. & meritis SS. p. 157. edit Lugd. 1608. concedit, quin Villavincencius Christophorum ingentis istius staturæ de ratione stud. Theol. inter Symbolicam picturam refert, verba Hyper. adducens, & de gigantea ista statura Baronius in notis ad martyr. Rom. quid dicam, inquit, non habeo. Nec fidem aliquam merentur ex probatis historis circumstantia. De Catharina, Georgio & aliis alii, V. Mariam Angelicam salutatione quotidie adorant. Ineptè. Sic enim: quicumque alicui Ave dicit, ille vult, ut alter bono sit animo, se enim venire amicum non inimicum, lætum non triste nuncium afferre, & proinde non esse ut timeat. Papicollæ Mariæ quotidie Ave dicunt: E volunt ut bono sit animo, se enim amicos, non inimicos venire, lætum afferre nuncium, nec esse ut timeat. Minor certa. Major est definitio Angelicæ salutationis, quam Jesuita Maldon. in C. 1. Luc. profert. Sed redeo & 5. resp. Solus Deus in Scriptura ut καρδιογνώσις laudatur, nullibi sanctis hic honor defertur. 1. Sam. 16, 17. 1. Reg. 8, 39. Ps. 7, 10. Jer. 11, 20. Rom. 8, 17. 6. Non quælibet scientia adorationem etiam gignit, sed Sola omniscientia, 7. Ab extraordinaria Sanctorum revelatione quarundam interdum rerum ordinariam velle extorquere, manifestè erroneum est, 8. Prophetas dictos plurima latebant, quod nullus negare potest: Quis igitur Mercurius me certiore faciet, an mea in specie vota audiat hic vel ille sanctus.



69. *Ad illud, quod addis, in Deo, Sanctorum in his terris degentium omnes actiones occultæ, velut in speculo expresse, representari. Resp. 1. de speculo isto (licet πολλὰ μαλακῶς λέγειν didiceris) quod Speculistæ vestri commenti sunt, altum in scriptura silentium, adeo ut Subtilis Ockamid videat in l. 4. sent. q. 14. Laurentius Arturus Jesuita in Thes. Posnaniæ, anno 1584. Somnium dicat alicujus Monachi vel Jesuitæ febricitantis. Videatur Affelm. de invocatione SS. 2. Scriptura potius in alteram inclinare partem videtur, defunctos nihil de iis, quæ heïc geruntur, novisse. Sic enim Eccles. 9, 6. *Viventes noverunt se esse morituros: Mortui vero nihil noverunt: neq; eis pars ulla in seculo, aut in iis quæ fiunt sub sole.* (Ubi nota phrasin, partem alicui esse in aliqua re, Jos. 22, 27. Non est vobis pars in Jehova, 2. Sam. 20, 1. Non est vobis pars in Davide, Act. 8, 21. Non est tibi pars neque fors in verbo hoc) Job. 14, 21. *sive nobiles fuerint filii ejus sive ignobiles (ὁ μὴ γινώσκων)* non intelliget, seu non animadvertet, attendet. Quin & temporum & opportunitatum cognitio sanctis expresse denegatur Act. 1, 7. 3. Angeli etiam DEum intuentur, nec tamen πολλοὶ ποικίλον τὸ θεῶν σοφίας καὶ τὸ μυστήριον κεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων ἐν τοῖς ἔθρονοις, ἀλλὰ ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ γνωρίζειν λέγουσι. Eph. 3, 9. 10. 4. Quæro an Sancti omnia an verò aliqua tantum in isto speculo videant. Si *ὅππια* & quidem cordis ἐνθυμήματα (aliàs enim hypocriticam orationem à vera non possent discernere) quæ causa, cur non I. omnes Sancti in quavis calamitate invocentur, quum tamen omnes omninò*

F

finc

sint in perfecta charitate & desiderio juvandi, ex vestra quidem hypothese, teneantur maximo. 2. DEUS solus est καρδιογνώστης, ut dictum, neque ullibi hic titulus ulli creaturæ extra unionem τῷ λόγῳ ὑποστατικῆν tribuitur; Ut taceam veteres ex eo divinitatem Christi comprobasse. Vide Cyrillum in Joh. lib. 2. c. 37. *Si ergo solus DEUS, quæ sunt in cordibus nostris, intelligit, quomodo non erit verus DEUS salvator, qui profunda & abdita cordium novit? Si aliquatantum, quæ causa, quod non omnia in simplicissimo. 2. Quis me certiozem reddet, quod mea ibi repræsentetur oratio. 3. Quæritur quomodo repræsentetur oratio. Intestina enim hinc belligeritis nec convenire hætenus potuistis. Quod enim alter hodie negat, alter cras affirmat. Videas igitur tuos quomodo prius componas, quam nobis ea, quæ nec tuis omnibus probantur, opponas. Et quis demum cælo delapsus hæc omnia vobis revelavit? Forte Pax iste Plautinus, qui in cælum usque ascendit, ibique quod Jupiter depromptum cibum servis abierit, vidit. Paulus enim qui in tertium usque Cælum fuit raptus, ibique ῥήματα ἀρρήτα audivit, nihil tale quid revelavit, nec prodidit. 5. Etsi vel maximè sancti omnia viderent, nec Christo invocatione Sanctorum fieret injuria, tamen non essent adorandi religiosè. In Achille enim isto Ecciano (v. Enchir. p. 149.) licet Bellum nullum Lutheranium eum solvisse garriat, lib. 1. de SS. beat. C. 19. Col. 743. lit. d. Est *insufficiens partium enumerationis*, & ubi maximè pugnandum, ibi vos maximè cum Sofia isto fugitis. Ita enim deberetis argumentari: Si sancti non sunt invocandi, fiet illud vel respectu nostri*

nostri

nostri, vel Sanctorum, vel respectu DEI. Posteriora duo, sed fidere infauſto, probanda assumitis. Prius intactum relinquitis. Cum tamen respectu nostri in rebus fidei requiratur *mandatum*, requirantur *promissiones, exempla*, quæ ex scriptura ad Calendas Græcas probabitis.

70. u. Templacis erigendo, festa celebrando, vota nuncupando & per eos jurando. Quod Tempia sanctis extruant, adeo clarum ut nulla ratione negari possit. Sic enim Jesuita Sandæus l. d. p. 34. *Quid? vix oppidum, certè non urbs aut civitas paulò major, quæ non sospite huic Divæ in memoriam gratitudinis testanda causa ad eam constituerit, ad quam tanquam ad sanitatum officinam & asyllum miserorum in periculis confugiat.* Festa etiam sanctis non memoriæ Deoque gratias agendi ergo celebrant, sed ut sanctos religioso cultu afficiant. Sic enim Bellarm. lib. 3. de cultu SS. c. 16. *dico bonorem dierum festorum immediate & terminative pertinere etiam ad Sanctos, sicut ipsam Invocationem & esse cultum religionis, ut est nomen generale.* Sanctis vovent, ut Bellarm. lib. 3. de cultu SS. c. 9. Col. 891. annotavit hoc modo: *Voveo Deo & B. Mariæ & omnibus Sanctis, & nota quod lit. D. concedat formaliter votum DEO & Sanctis simul fieri.* Cajetanus in II. 2. Thom. q. 88. art. 5. *Sanctis absolute vovemus, sicut DEO, Prelatis autem non.* Unde vides impudens esse mendacium Duræi, in resp. ad Wittack. pro Campiano lib. 6. f. 156. asserentis, *quod nemo Catholicorum vel sacra faciat vel vota virgini.* Sed DEO soli, ait, *sacrificamus & certè vovemus, quamvis in Virginis & SS. honorem.*

71. Esse v. hæc Idololatrica, manifestum ducimus. Siquidem 1. est ἐθελοθρησκεία. Nullum enim ex Scriptura fundamentum adducere possunt, unde ipse Bellarm. vota sanctorum ex scripturis non confirmat. 2. Ita argumentor: Quicumque cultum latriæ seu religionis proprium creaturis defert, is idololatriam committit. Major est certa, adeo, ut eam Pontificii negare non possint, quin vehementer probent. Sed qui hominibus vovet, is actum latriæ DEO proprium hominibus defert. E. Min. probo testimoniis 1. Thomæ 2. 2. quæst. 88. art. 5. *Votum est actus latriæ sive religionis propriæ.* 2. Magistri Sent. lib. 4. dist. 38. *Votum est testificatio quedam promissionis spontanea, quæ DEO & de his quæ DEI sunt propriè fieri dicitur.* 3. Costeri in Enchir. *Votum est actus religionis soli DEO debitus, qui ex se cultum latriæ subinfert.* Hinc ita: Quod ex se tale est, illius essentiam diversus modus non mutat. Modus enim non facit ἄλλο sed ἄλλοι. Atqui votorum nuncupatio ex se, natura suâ & propriè cultum latriæ subinfert & DEO soli competit. E. Eadem est ratio reliquorum. Coniunguntur enim in scriptura Psalm. 22, 26. Es. 19, 20. Heb. 13, 14. Et de Angelorum templis ait Augustinus contra Maxim. c. 11. *Nonne si templum alicui Sancto Angelo excellentissimo de ligno & lapidibus faceremus, anathematizaremur, à veritate Christi & Ecclesia DEI, quoniam creaturæ exhiberemus eam servitutem, quæ uni tantum debetur DEO.* Idem lib. de Vera Relig. c. 53. *Honoramus eos Charitate, non servitute. Nec eis templa construimus.* Idcirco lib. 8. de Civit. DEI c. 27. *Nos martyribus non constituimus templa, Sacerdotia, sacra & sacrificia, quoniam non ipsi,*

ipsi,

*ipsi, sed DEUS eorum nobis est DEUS.* Durand. lib. 8. rational. divin. c. ult. *Ad latriam pertinent templa & altaria, sacerdotia, sacrificia, festivitates &c.* Bellarmin. lib. 1. de Christo c. 8, Col. 276. *Præterea Christus habet templum, quod est proprium latriæ signum.* L. d. lit. C. *Christi Deitatem ex templis, aris, invocationibus, festis diebus probat.* Unde Cassander in Consult. ad Impp. Ferdin. 1. & Maxim. II. p. 157. *Huc etiam referri potest, quod vulgi imperitia divinos honores Sanctis attribuit, ut cum templa, aræ, sacrificia, sacerdotia, vota, festi dies non tantum memoriæ, ut veteres loquebantur, sed honori & cultui SS. putantur.* *Hæc ille.* Et tamen Jesuitæ hoc docent. De juramentis (v. Jer. 5, 7. Zephan. 1, 5.) sic ait Chrysostr. vel alius in opere imperf. in Matth. *Qui per aliud quam per DEUM jurat, illud Deificat, atque sic seipsum idololatram constituit.* Hom. 12.

72. III. *In eos fiducialiter sperando, credendo.* Quomodo enim in eos non sperarent & crederent, quos invocent? De Maria certè sic Sand. l. d. p. 481. *Certi & nos simus, si vera illam fide & filiali affectu ut patronam & advocatam invocaverimus, fore ut non tantum in hora novissima sed & qualibet calamitatis solatium obtineamus.* p. 453. *Ad thronum igitur ejus (scil. Mariam) in qua quievit accedamus cum fiducia, ut misericordiam consequamur & gratiam in tempore opportuno.* Idem p. 376. *Maria est Regibus in quo consideant Thronus Salomonis. Militibus omnis armatura fortium. Clypeus in se sperantibus. Exulibus præsidium, salus, pietatis alylum. Civitas refugii. Infirmis urbs fortitudinis. Obsessis turris Davidica, Eburnea &c.* ibid. *Ægris stella matutina & aurora consurgens, ad quam tanto-*

pere anhelant. Desperantibus lapis adjutorii. Religiosis Sanctuarium DEI, Æstivantibus nubes tabernaculo insidens. Perfectis porta cæli. Tandem v. p. 377. concludit, quid moror? DEO solum gloria. Gloria Te domini solum sibi elegit & in te habet majestatis & Pietatis opes. Sic Ordines Hildes. in Compos. Mar. Ad Te O unica spes miserorum confugio & plena fiducia Tibi meipsum in omnibus necessitatibus devotè commendo. Cornel. à Lapide in Comment. Philem. v. 4. Fidem quam habemus in Dominum JESUM, eadem habemus & in omnes Sanctos. Bellarm. lib. 1. de SS. beat. c. 20. Col. 750. lit. b. concedit, quod sicut in DEUM credimus, ita suo modo in sanctos etiam sit credendum. Et quidni in eos crederent, in quorum nomine baptismum administrari posse, impuro ore asserunt?

73. Esse v. hæc idololatrica, nemo nisi qui ἀσρονοδοῦν pietati bellum indixit, negabit. Siquidem 1. omnia ἀργαφα 2. ἀντίργαφα Deut. 10, 21. Es. 45, 22. Psal. 71. 1. Pet. 1, 21. 2. Paral. 20, 21. Os. 12, 7. Jer. 17, 5. 6. 7. &c. Quod adeò clarum, ut non solum Cassander in Consult. super August. Conf. p. 154. perniciosam hanc opinionem & erroneam commentis tamen, quantum etiam fieri potuit, miraculorum (NB.) confirmatam clarè nominet, verum etiam Gerh. Lorichius in Vallo Ecclesiæ Catholicæ

oder Bolwerck des wahren Christlichen Glaubens / lib. 13. non ita procul à fine (paginae non sunt adnumeratae) conqueratur hoc modo: Diese ding und handlung des Concilii zu Florentz sind höchlich zu loben. Jedoch ist noch etwas zu begehren / das auch im Concilio billich solt tractiret worden seyn der irrenden Schafftlein Christi Aber glaub / so

Editus est  
hic liber  
Coloniae  
An. 1540.  
per Lau-  
renz.  
Von der  
Mölen.

so

so ihren Trost bey den heiligen lassen bleiben vermeinen behalten vñnd selig zu werden / wo sie S. Barbaren vñnd den zehen tausend Martyren fasten und feyren / wo sie Erasmo vñnd Christophoro dienen. Item: Derer Unglaub so verhoffen reich zu werden / wo sie S. Joachim dienen vñnd ehren. Vñnd dergleichen viel nothelffers machen / vñnd einem jeglichen eine sonderliche Kranckheit zu curiren vñnd eine sonderliche Sach auszutragen zuschreiben. Hac Papista de superstitione Papistica. Videatis ergo Jesuitæ, quò Ecclesiam Christi preciosissimo sanguine liberatam inducatis? Resipiscite, dum tempus ad frugem se recipiendi datur.

74. IV. Eos omnium omninò bonorum datores maiorumque aberratores constituendo. Petrus Damiani Vir sanctissimus, ait Sand. l. d. p. 459. audet dicere, Mariam ut quid impetret imperare DEO. Verba Damiani sunt: *Accedis enim ante illud aureum humane reconciliationis altare non solum rogans sed imperans, Domina non ancilla.* Sic Antonius part. 4. summ. tit. 25. *Mariam ideò dici gratia plenam, quia secundum Albertum sit medium & causa gratiæ transfundendo eam in genus hominum.* Osorius tom. 3. Concil. 1. assum. B. Virg. p. 466. *ut omne donum perfectum & bonum desursum est, descendendo à Patre: ita & à matre luminum descendere dicere possumus.* Idem p. 495. ex Bernhardo differit, quod misericordia matris longitudo, latitudo, altitudo ac profunditas nequeat investigari accurate, & p. 496. *Quicquid illud est, quod offerre*  
Deo

Deo parvas, Maria commendare memento, ut eodem alveo ad largitorem gratia gratia redeat, quo influxit. Nihil enim in ea austerum, nihil terribile, tota suavis, omnibus misericordia sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi &c. p. 492. Costerus in Enchir. c. 14. Sanctos esse rogandos, tum ut pro nobis apud DEum intercedant, tum ut ipsi nobis opitulentur. Imò nullum unquam salvum factum esse, nullum liberatum esse è malis nisi per Mariam, blasphemio ore effutire non veretur Germanus, cujus tamen verba Suarez tom. 2. Comm. in Thom. q. 37. sect. 1. adprobat. Falsum ergò est, quod Apostata Pfuntelius p. 42. asserit Sanctos invocari non ut Liberatores sed ut Intercessores, item tanquam Cancellariis preces nostras iis committi. Quis enim Cancellario omnia bona ascriberet, quis ejus imperandi tribueret, licèt & hæc à foro ad polum argumentatio, cum res ipsa etiam scripturæ contraria, nec titivilitio æstimanda?

74. Singulis malis singulos præfecerunt Sanctos, ut velut erciscundæ familiæ judicio constituto non eandem dispensandi facultatem habeant omnes. Valet enim & heïc, inquit Biel lect. 32. in Can. Missæ illud Virgilii, non omnia possumus omnes. Salm. disp. 7. in Timoth. 2. tom. 15. p. 462. Sancti non opitulantur omnibus equaliter. Nam sunt aliqui qui in quibusdam necessitatibus peculiariter opem ferunt &c. Et p. 463. Hæc multiformis munerum distributio partim à DEO inspirata, partim revelata per Angelos, partim piis conjecturis deprehensa est. O quovis Tantalum inferiorem, qui conjecturis in rebus fidei ducitur. Sic a Jesuita Sandæus, ne mea verba

ba



ba adducam l. d. p. 482. Patronum colit Hispania Jacobum. Gallia Dionysium, Anglia Augustinum, India Thomam & c. p. 483. Qui dentibus torquetur invocat Apolloniam, qui oculorum suffusione laborat, confugit ad S. Otiliam: quæ mammillis male est affecta, opem implorat à B. Agatha, cui guttur interitū minatur, confert se ad sanctum Blasium & c. p. 484. Sutores colunt Crispinū, Sarcinatores vestium S. Hemobonum, Fabri Josephum, Agricole Isidorum, Vinitores in Francia Sanctos Bacchum & Sergium & c. p. 485. Theologi Augustinum, quidvis ordo peculiarem ut p. d. enumerantur. Milites p. 486. S. Georgium, Imperatores Henricum, Reges Ludovicum & c. Omnes Mariam, ut omnium communem Patronam nulli non faventē, beneficiorum omnium largitricem. Et 494 Quis est super quem non splendeat misericordia Mariae & c.

75. Hæc esse Ethnica, superstitiosa, idololatrica adeò clarum puto, ut solem in Meridie lucere neget, hæc qui non videat. Confer thesin 40.

76. Et quid multis DEum honore debito privant DEOS ex Sanctis faciendo. Quod fit DEOS eos appellando & attributa divina tribuendo. Deos enim nominant Sanctos participativè seu per participationem, ut Bellarm. asserere non dubitat l. 3. de SS. cultu c. 9. Col. 895. lit. A, §. secundo, §. tertio, Jovius lib. 24. p. 17. fa. b. nominat DEOS tutelares, Leo X. lib. 4. ep. Bemb. vocat Mariam Deam epist. 17. Miletus in disc. errorum Heshus. p. 509. antid. 1. in fine p. Sed & DEOS esse suo modo Sanctos, quis nisi atheus negat? Et quidni Deam statuunt Mariam, in cujus nomine ritè administrari baptismum (quum tamen veneranda Patrum canities semper ex baptismi institutione argumentum adamantinum pro Christi, Spiritusq;

G

ritusq;

ritusque S. Deitate struxerit )asserunt, lib. 1. novi Sa-  
 cerdot. p. 25. *Omnipotentiam Mariae* assignant. Seraphi-  
 cus enim Pater Bonaventura Mariam sic compellat:  
*Quia Deus potentissimus potentissime tecum est & tu es poten-*  
*tissima secum* adprobante Sand. l. d. p. 474. Suarez rom. 2.  
 Comment. in Thom. disp. 23. sect. 2. p. 209. probat di-  
 ctum Nicomediensis, *Virginem Deiparam Omnipoten-*  
*tem vocantis.* Sand. n. 469. *velle Virginis est non solum pos-*  
*se sed & efficere.* Pet. Dam. (v. Sand. p. 460.) sic in fit: *Fecit*  
*in Te magna qui potens est & data est tibi omnis potestas in cœ-*  
*lo & in terra.* Id. Sand. *Potentia ejus est incredibilis* p. 443.  
*Non hyperbolicè dictum à Germano p. 474 patrocinium Ma-*  
*riae majus esse quàm intelligentia apprabendi possit, Intelligen-*  
*tia scil. ut addit Sand. non solum humana, sed & angelica*  
 p. 475. Plurima ex aliis adduxit Dn. Himmel. de In-  
 vocatione SS. Ex quibus ita, Quicumq; extra unionem  
 hypostaticam omnem potestatem in cœlo & terra ha-  
 bet, 2. cujus etiam velle est simpliciter efficere, 3. po-  
 tentissimus est cum DEO, ille est omnipotens, & per  
 conseq. Deus alius, & sic idolum. Atqui Maria extra  
 unionem hypostaticam omnem potestatem in cœlo &  
 terra habet, 2. ejus velle est simpliciter efficere, 3. poten-  
 tissima est cum Deo. E. Absit v. ut Mariam Idolum no-  
 minemus simpliciter, hoc n. respectu Papistarum dici-  
 mus, qui sic non Mariam sed figmentum suum ado-  
 rant. Majoris consequent. puto esse clarissimam. Siqui-  
 dem ex illo, quod Christo omnis potestas sit data, Pa-  
 tres omnipotentiam Christi probant 2. ipsi Deo tribui-  
 tur Psal. 148. 5. 3. clarū, quis enim potentissimus esse pos-  
 set cum Omnipotente, nisi ipse etiam esset potentissi-  
 mus. Idololatrica v. hæc esse patet ex dictis. Plura de  
 omnipræ-

HONORIS CHRISTI ANNIHILATIO. 49

omnipræsentia, omniscientia &c, adponere possem, nisi thesium angustia repugnaret.

77. Idololatriam committunt 2. *Honorem Christianum* II. *Idolo-*  
*nihilando.* Tribuunt n. sanctis 1. *intercessionem meritoriam.* latrariam  
 Costerus in Ench, de venerat. SS. in solut. object. 2. *San-* *commit-*  
*ctorum meritis & precantium multitudine DEUS ad miseri-* *tunt Chri-*  
*cordiam inflectitur.* Lomb. lib. 4. dist. 45. *intercedunt pro no-* *stum ho-*  
*bis Sancti & merito, dum illorum merita suffragantur nobis* *nore suo*  
*& affectu, dum nostra vota cupiunt impleri:* Brevia. Rom. *defrau-*  
*ex decreto. Conc. Trid. restitutum, in festis Nov. p.* *dando.*  
 1312. *Præsta Deus ut Felicitatis martyris tue meritis protega-*  
*mur & precibus. Sic in communi sanctorum. Quia pondus*  
*propria actionis gravat, beati martyris tui atq; Pontificis inter-*  
*cessio gloriosa nos protegat p. 24. Sic l. d. p. Fac Domine, ut quod*  
*nostris meritis non valemus patrocinio N. assequamur. Sic*  
 Sandæus p. 471. adducens illud Anselmi (Filius ejus  
 Dominus est & judex omnium discernens merita singulo-  
 rum. Dum igitur à quovis suo nomine invocatus non statim  
 exaudit, profectò id justè facit. Invocato a. nomine matris &  
 si merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita ta-  
 men matris intercedunt, ut exaudiat) addit hæc: Hoc deniq;  
 usus humanus quotidie probat, cum quis proposito Dominico  
 nomine efficaciter ab alio aliquid impetrat. &c. 2. *Marie ad-*  
*jutorium in opere redemptionis.* Sic in n. Mariali An. 1493.  
 Argent. edito in fol. lib. 1. c. 5. f. 13. Ad ultimum fuit Do-  
 minus cum ea (Maria) & ipsa cum Domino in eodem labore,  
 & in eodem opere redemptionis. Hinc locum Gen. 3, 15. ipse  
 conteret caput serpentis, perversè ac malitiosè, ut alibi  
 demonstravimus, ad Mariam torquent ac detorquent.  
 Sic ex Antonio. *Ipsa sola omnes inferiores reduxit tan-*  
*quam Mediatrix reconciliationis & adjutrix redemptionis &*  
*angelorum numerum restauravit & subvertit ante conspe-*

*Etiam Domini & hominē lapsum revocavit ad superos. Eodē libro Sand. Effecta est interventrix mundi, Daemonum fuga, peccatorum spes, Dei & hominum verissima Mediatrix. Unde ex sanguine Christi & matris lacte confecerunt sibi antidotum. Sic enim canit Sandæus, l. d. p. 342.*

*Positus in medio, quo me vertam nescio.*

*Hæreo lac inter meditans, interque cruorem*

*Inter delicias Uberis & Lateris.*

*Et dico, si forte oculos supra ubera tendo,*

*Divæ parens Mamme gaudia posco tua.*

*Sed dico, (si deinde oculos in vulnera verto)*

*O Jesu Lateris gaudia malo tui.*

*Rem scio, Prensabo, si fas erit, ubera dextra:*

*Leva prensabo vulnera, si dabitur.*

*Lac Matris miscere volo cum sanguine Nati,*

*Non possum Antidoto nobiliore frui & c.*

3. *Liberationem à peccatis, ira DEI, Diabolo & inferno Ps. 53. Domina in nomine tuo salvum me fac & ab injustitiis libera me, ut non noceat mihi calliditas inimici. Deprecor te ut me à presenti flagello, à consuetudine peccandi, ab immunditia cordis & corporis & à ventura ira liberes. Sic Orat. de omnibus Apost. O Jacobe accelera, mea dele scelerata, O Matthæe ne differas fugare res pestiferas. & c. In Hortulo animæ offic. ad matutinas: Nec potentio rem meritum ad placandam iram vindicis quam Te invenimus, quia meruisti mater existere redemptoris & judicis. Psalmo 42. Sancta fecunditas tua disperdat eum, (scil. Sathanam) beata virginitas tua conterat caput ejus, Sancta merita tua exniant virtutem ejus & c. Audite, inquit Jesuita Sandæus l. d. p. 465. Gregorium Nicomediensem his verbis confidentiam suam in Virginem & hujus in*  
patro-

patrocinando potentiam extollentem in oratione de oblatione Deiparæ: *Per Te nos regnum cælorum speramus affecuturos. Te nostræ salutis habemus adjutricem. Te nostri auxilii habemus defensatricem. Te proponimus, cujus ore nostræ dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circumferimus gloriationem. Da petitioni convenientem (potes enim) eventum. Habes ut mater in Filium, quæ recusari non potest, fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile: ne immensam clementiam tuam superet multitudo peccatorum. Nihil tuæ resistit potentia, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedunt tuo jussui: omnia tuo obediunt imperio, omnia tuæ potentia serviunt. Tuam gloriam Creator existimat esse propriam & tanquam filius in ea exultans, quasi exolvens debitum, implet petitiones. 4. Propriis meritis augmentum gratia vitam æternam. Hoc enim expresse habet Concilium Trid. sess. 9 can. 32. ubi vide. Bellarm. l. 5. de Justif. c. 1. §. ult. scribit, communem esse omnium Catholicorum sententiam, quod opera bona justorum sint verè & propriè merita & quidem merita ipsius vitæ æternæ. c. 7. §. 3. in meritis fiduciam collocari posse aliquam. Vitus Miletus l. d. loc. XI. err. 296. p. 254. Ex justitia ergò & condigno opus promissam meretur vitam æternam & c. ibid. Si ex justitia reddit, ex debito ergò reddit, opus ergò cui ex debito justitiæ, merces redditur, eam ex condigno meretur, nisi enim ex condigno mereretur, nec ex debito justitiæ, sed ex dono duntaxat gratia & misericordia merces illi deberetur, nec injustus esset DEUS, si non redderet. Atque ex hac de Condigno doctrina fluit ὑπερηφανία & insolentia spiritualis, qua Monachi quidam tumidi & inflati, cum DEO de vita æterna expostularunt. Horresco cogitans. 5. Missæ ab-*

*minatione.* Non enim unico sacrificio in ara crucis semel peracto contenti sunt, sed quotidie non sine contumelia perfectissimæ passionis Christi pro vivis & mortuis, pro peccatis Originis, Venialibus, Mortalibus, ita quidem ut ad quos fructus crucis pertingere, ad eos æquè Missa pervenire possit, propitiatorium sacrificium offerunt. Concil. Trident. sess. 6. Alanus lib. 2. de Euch. c. 29. p. 610.

78. Hæc verò omnia in officium Christi sacerdotale impingere honoremq; Christi creaturis offerre sacræ paginæ nos facilè docent, quum contraria afferant Christoque unice attribuant. 1. *Intercessionem meritariam* Joh. 14, 6, Ego sum via, veritas & vita, nemo venit ad patrem, nisi per me. Eph. 2, 18. 3, 12. Rom. 8, 35. Christus est ad dextram Dei (nota hoc contra Salm. in disp. 7. in 1. Tim. 2. tom. 15. qui tamen p. 469. & 459. sibi ὁφθαλμοφανερῶς contradicit, sicque proprio iudicio impudens nebulo est, *impudentes nebulones* vocantem eos, qui Christo titulum *Advocati* & *Intercessoris* jam ad dextram exaltato tribuunt v. D. Himmel. in l. de natura Invocat.) qui etiam interpellat pro nobis 1. Tim. 2, 5. 6. εἰς ἃ θεὸς εἰς ἡμᾶς μεσίτης &c. Ut ergò unus est DEUS, ita unus est etiam mediator. Sed DEUS ita est unus, ut nullus præter ipsum detur. E. Vide 1. Joh. 2, 1. 2. Hinc Cajetanus in c. 2, 1. ad Tim. *Si plures essent mediatores apud Deum & hominem, existimaretur quod unus esset mediator pro quibusdam, & alius pro aliis, sed ex quo unus est mediator Dei & hominum ad reconciliandos homines Deo, illi uni incumbit mediare inter Deum & hominem.* 2. Opus redemptionis Es. 53. Es. 63, 3. 5. *Torcular calcavi solus* (לברי quod ex ברר solitarius fuit, &

it, &

it, & est particula exclusiva, vide 2. Sam. 10. 1 Reg. 19)  
 & de populis non est vir mecum (וַיֵּן enim licet interdum  
 vocabulum sexus sit, tamen non solum distributive  
 hincinde sumitur & sequiori & meliori sexui comune  
 est, verum etiam cum particula negativa idem valet  
 quod non aliquis, nullus, nemo, nihil quicquam Exod.  
 10. Non viderunt quisque fratrem suum neque surre-  
 xerunt de loco suo, 1. Sam. 21. Quare tu es solus & ne-  
 mo tecum &c.) *Circumspexi* (וַיִּבְטֹחַ proprie notat iustra-  
 tionem oculorum cum gestu, ac si diceret, anxie nunc  
 huc nunc illuc oculorum aciem converti, an auxiliato-  
 rem videre possem) & non fuit auxiliator. *Quæsi*  
 וַיִּבְטֹחַ ob nimium expectandi studium attonitus red-  
 ditus fui. Deducitur enim אֲבִיָּהוּ quod desolare, &  
 quando ad animum refertur, obstupescere significat)  
 & non fuit qui adjuvaret &c. 3. Liberationem a peccatis,  
 ira DEI, Diabolo & inferno. Matth. 1, 21. Eph. 1, 29. Tit.  
 2, 14. 1. Johan. 1, 7. Rom. 5, 10. 11. 1. Theff. 1, 10. 1. Johan.  
 3, 8. Hebræo 2, 14. Os. 13, 14. 2. Timoth. 1, 20. Rom. 8, 1.  
 4. Vitæ æternæ acquisitionem. Ephes. 2, 8. Tit. 3, 5.  
 Act. 15, 11. Rom. 6, 4. Hinc opera & gratia DEI ἀντιδι-  
 ηρημένως καὶ διὰ πασῶν in scripturis sibi opponuntur  
 Rom. 3, 34. 11, 6. Unde Paulus opera, quæ certè in lege  
 habebat egregia, erat n. ἀμεμπτος Phil. 3, 6. σκύβαλα καὶ  
 ζημίαν ducebat propter excellentiam cognitionis Jesu  
 Christi. Tota scriptura clamat neminẽ esse justũ coram  
 DEO, omnes indigere gloria, omnes nostras justitias  
 esse instar panni menstruatæ Esa. 64. omnes Sanctos  
 clamare, Dn. ne intres in iudicium cum servo tuo. Ps.  
 143, 2. Omnibus omninò pereundum esset, si lex rigo-  
 rose

rosè urgeretur & Christus vitam æternam nobis non acquisivisset, ne dum, ut aliquid promereri possemus. Si verò Christus morte & passione sua promeruit, ut nostra opera vitam æternam & quidem ex condigno, seu debito justitiæ promereri possent, certè non sufficiens omnibusque numeris absolutus Salvator esset, sed vel *κρίσιον* tantum *αίτιον*, vel potius instrumentum à DEO ordinatum, ut nostrimet ipsius Salvatores efficeremur. Esset, quo gloriari possemus & sic non omnis gloria evanuisset. Proprium proinde honorem Salvatoris quum aliis deferant, certè Idololatrias crimine sese collutulant.

III. *Idololatrium committunt Imagines venerando: Venerantur v. imagines 1. adoratione. Sic enim Tann, in 2.2. Thom. disp. 4. th. 48. Absque hesitatione fatendum imagines non solum venerandas & colendas, sed etiam adorandas juxta verum ejus nominis significatum, quem superimaginum us exposuimus. Sic enim non solum frequenter Graeci Patres loquuntur utentes vocula *προσκύνησις* & Latini atq; ipsi Scholastici, dum & Christi imagines latría colendas & adorandas docent. Thomas Aquinas part. 3. quæst. 25. art. 3. Cum Christus adoretur adoratione latría, consequens est, ut ejus imago etiam sic adoratione latría sit adoranda. Vide etiam art. 4. Gregor. de Valent. disp. 6. quæst. II. p. 6. Verissimum, quod affirmari solet eodem officii & honoris genere, eodem animi motu, h. e. eadem voluntate excitandi opinionem excellenter honorari prototypum ipsum, & ejus imaginem. Eadem asserit Constantinus Constant. Episcopus in Concilio Niceno, Thomas 3. sent. dist. 9. Concilium Trident. sess. 25. Imaginem adorare est ipsum Christum adorare,*



rare, vide etiam Bonavent. in 3. dist. 9, art. II. *II. Operum divinorum adscriptione.* Tribuunt enim imaginib. & cruci imprimis 1. *Salvationem.* Brevia. Rom. in festo Invent. & Exaltat. S. Crucis: *Salva catervam in tuis laudibus congregatam.* Sic in oratione ad Effigiem vultus Christi, quam Veronicam vocant: *Salve sancta facies &c. Nos ab omni macula purga vitiorum. Atque nos consortio junge beatorum. Nos perduc ad propria. O felix figura Ad videndum faciem, qua est CHRISTI pura &c.*

80. 2. *Dæmonum fugam.* Lachmayer serm. 53. de Crucis Invent: *Figura crucis devotè formata Dæmones fugat & vincit.* Unde non solum fabulam de lupo homines dilaniante signo crucis converso, ut miti similis in urbe hinc inde stipem colligeret, narrant, sed & Judæum quendam in templo Idolorum Romæ pernoctantem Diabolos, qui animo gladiatorio, ut Plautus loquitur, ipsum accedebant, signo crucis depulsi, adeo ut Dæmon non solum nullum damnum ipsi inferre potuerit, sed & in hæc eruperit verba: *Vas vacuum sed signatum,* serm. 54. Lachm. refert. 3. *Justitiæ donationem.* Rituale Papist: *O Crux ave spes unica, hoc passionis tempore, Auge piis justitiæ Reisque da veniam &c.* Et Bell. l. 2. de sanct. imag. c. ult. crucis tres effectus enumerat, quod fuget dæmones, 2. pellat morbos & omnia mala, 3. sanctificet ea, quibus imprimitur.

81. III. *Superstitionum Ethnicarum emulatione.* Vide enim th. 42. & eam cum papistarum ritu confer, vel me tacente videbis ovum ovo non esse tam simile, quam Ethnicorum superstitionem papistarum cultui.

H

82. Esse

82. Esse verò hæc Idololatrica non solum papi-  
stæ quidam confiteri coguntur (Cornel. Agrip. de  
Vanit. scien. c. 56. *dici non potest quanta Idololatria alatur  
apud rudem populum per imaginum cultum*, Rob. Holcoth.  
in lib. Sap. lect. 53. fatetur, *magnam cum idololatria affini-  
tatem habere, quod homines coram Idolis prosternantur.*  
Ideoque cavendum monet, *ne doceant homines coram la-  
pidibus & lignis DEUM adorare*) sed & subsequens syl-  
logismus demonstrat. Ita enim: Quicumque creatu-  
ræ brutæ cultum latriæ offert, 2. spem & fiduciam  
in eam collocat, 3. Idolomaniis Ethnicorum se collu-  
tulat, ille Idololatriam committit. Sed Papicolæ  
imaginibus cultum latriæ offerunt 2. spem & fidu-  
ciam in eas collocant, 3. Idolomaniis Ethnicorum se  
collutulant. E. Minor probata. Major verò ipso-  
rum Papistarum confessione vera. Sic enim Duran-  
dus l. i. c. 3. Rat. *Imagines non adoramus neque Deos vo-  
camus, neque spem nostram in illis collocamus, quia hoc esset  
idololatriam committere.* Ergo etiam necessariò Con-  
clusio sequitur.

83. Verùm ut falsitas semper est officiosa; Ita &  
hoc in loco invenisse se putat tela, quibus Idololatri-  
am à se si non avertere saltem incrustare queat. Ex-  
cipiunt enim honorem non imagini sed prototypo offerri, sive  
se Sanctos in imaginibus adorare. Vitus Miletus in  
discuss. Error. Heshus. error. 551. p. 521. Lessius in  
Consult. Cathol. Verùm ne hoc *ἡγορευήτω* Idololatriam effugiunt.  
Monstrent enim DEUM hoc modo sibi cultum habendum præcepisse, aut Idolola-  
triam vide th. 44. 46. à se declinare non poterunt.  
2. Si

2. Si ipsorum sanctorum adoratio ab Idololatria non est aliena, quantæ se astringet eorum imaginum.  
 3. Hoc idem & Ethnici obtenderunt. Siquidem Dio Chrysoftom. Orat. 12. de prima DEI not. & Mamus Tyrius ser. 38. asseverant *summum, primum, maximum DEUM creatorem omnium & conservatorem à se in simulacris ex auro & argento & ebore factis coli.* 4. Falsum est quod non imagini, sed Sanctis in imaginibus honorem exhibeant. Non solum enim testimonia rerum adsunt, vide th. 79, 80. Et proinde verbis opus non est, sed & Bellarmin. l. 2. Eccles. Triumph. c. 20. Col. 826. c. 21, & 22. exactè hanc sententiam tanquam erroneam rejicit & argumenta in contrariam partem, quæ prius solvant, quàm ita excipiant, affert. 5. Ita insurgo: Cultus quo colitur imago DEI, & quo ejus prototypum DEUS aut idem est aut alius est. Si idem, utique cultu divino afficitur & ἀντιδοξασμὸς Idololatria committitur. Si alius, quæro, an κατὰ μέτρον seu aliquo modo divinus, an verò nullo modo, neque directè per se neque ratione mandati. Si nullo, modo neque respectu mandati neque respectu cultus directi, DEUS etiam ita coli non poterit. Si verò aliquo modo divinus, utique illud, quod DEI, si non in totum, at in tantum Creaturis tribuitur, & sic Idololatriam non effugient.

84. 2. Excipiunt, posse se aliquem incurvare, aut genua flectere coram throno aut Epistola Principis, etiam in absentia Principis, nec tamen crimen lese Majestatis incurrere. Quanto magis, inquiunt, coram imaginib. DEI hoc fieri poterit

terit absque Idololatria. Herculi facilius clavam, quàm Pontificiis hoc argumentum, extorquebis. Nunquam enim non magnatum mores nobis obvertunt. Verùm *πᾶσα κύων ἄγτης μαντεύεται, ἰχθύα καὶ γὰρ*, inquit Pisc. ille Theocr. Ita & Papistæ, dominia quum appetant, dominia ut Sabini somniant. Sed fortius est Patrum scripturæ autoritate munitum telum, quàm ut murus araneis ejusmodi consutus, sustinere id queat, à foro videlicet ad Polum non licere argumentari. Sunt ergò scopæ dissolutæ & adoratio politica cum religiosa confunditur, 2. Cathedra dignitatis, Epistola principis præsentia voluntatisque regia signum sunt, mandatoque regio ut observentur stipatæ. Secus v. sese res habet cum imaginibus, unde 3. *καὶ βίαιον* in ipsos adversarios argumentum retorqueo, hoc modo: Imò quia læsæ majestatis crimen incurrit, qui cathedram quandam erigit & pro signo præsentia Regis absque regis mandato venditat, quique supposititiis literis & sigillis Regis nomen ementitur, utique & læsæ divinæ Majestatis crimen, qui DEI præsentiam gratiosam creaturis astringit, quibus tamen seipsum nullibi astrinxit, incurrit.

IV. Idololatriam committunt Reliquiarum cultu.

85. Idololatriam admittunt *σκελετολατρεία* seu Reliquiarum cultu religioso. Venerantur enim reliquias (ut hæc ex Magno illo Theologo Chemnit. part. 4. Exam. Conc. Trid. f. 1. repetam) primò *ἐ* sepulchris elevando & in loco eminentiori collocando, auro sericisque exornando. Hyacinthus enim (Severin. de vita, miraculis & actis Canonizationis ejus l. 1. c. 18.) sepultus fuit anno 1257. & tamen ossa ejus trecentis ferè post annis  
Papæ

Papæ mandato exhumari iussa sunt, ut in Polonia co-  
leretur. Verùm cum membra non consentirent, A-  
natomici periti simul alia ossa admixta esse observa-  
runt, proinde plura effoderunt & tandem canoniza-  
runt l. d. l. 3. c. 23. & 42. Quid Magdeburgi superioribus  
annis nostra etiam memoria factitatum sit, constat. 2.  
*Per Pontificem canonizando. Verba adduxit Chem. l. d. 3.  
Singularem & meritorium cultum iis affingendo.* Sic Jo-  
hannes XXII. recitantib. coram fudario, quod Vero-  
nicam vocant, & habetur Romæ (mirum nisi Sofia  
geminus sit factus, ut Plautiffem, habetur n. etiam in  
Hispania, ut author est Luc. Marianus Sic. de reb.  
Hisp. l. 5.) precationem à se præscriptam 10000. die-  
rum indulgentias promisit. Vide et. Libr. qui inscrip-  
tus est Antidotarius animæ, 4. *Gratiam & virtutem in  
illis reliquiis insidere asserendo.* Sic enim in Festo Clav.  
Christi canunt: *Ave ferrum triumphale intrans pectus tu  
vitale, cœli pandis ostia, fœcundata in cruore, felix hasta nos  
amore per Te fixi saucia.* 5. *Sacrificium offerendo.* Vide  
Missal. Rom. tit. de ritu servand. in celebr. Missæ. 6.  
*Tangentib. osculantibus &c. indulgentias peccatorum promit-  
tendo.* Ut dictum, & Dn. Balduinus Præceptor olim  
meus venerandus, in suo de Idolol. speculo th. 87. ob-  
servat, quod centum annorum indulgentias reli-  
quias, quarum in templo Cathedrali Wittebergæ  
quinquies mille & quinque ex animatis & inanimatis  
reb. visitantibus & ad stationes singulas (quarum  
octo erant) præsentibus obtulerint. 7. *Orationibus in  
iis locis habitis majorem vim & gratiam ascribendo.* Quæ  
omnia l. d. fusius,

86. Et certè hæc esse idololatrica non solum è dictis satis abundeque constat, sed & clarus, si clarius quid dici potest, apparebit ex fraude, impostura, technis &c. quibus in reliquiis usi sunt & adhuc utuntur. Nihil n. dicam de *pennis Archangeli Michaelis*, quas miseris hominibus conspiciendas præbebat impostor Tezelius, & loco earum cum essent aliquando surreptæ, carbones Laurentii, quos quidam ex culina substituerat, ostendebat: Wolff. Cent. 16. p. 95. Nihil referam de *plumis Spiritus S.* (quasi, proh dolor, Spiritus æternus esset plumatus) *Nihil adponam de fœno* (quod Altingæ ex stabulo surripiens Rotenburgicus quidam Pfaff seledictus, pro fœno, super quo recens natus Christus recubuerit, venditabat. Videatur Heerbr. in disp. Theol.) *Tacebo asinum Christi quinq; pedibus instructum*, vide B. Luther. colloq. Silentii peplo involvam *tesseras*, quibus luserunt impii milites, quarum una Treviris, altera in Hispania velut res sacrosancta asservatur: Non attingam *altare columnamq;* qua Christus in templo Hierosolymitano disputans innitebatur, quæ Romæ ad Jacobi colitur. Non verba faciam de *dentib. Apollonia*, quorum Rex Eduardus aliquot tonnas, cum dentib. laboraret, ex unius regni reliquiis collegit. B. Chemnit. in Exam. Trid. part. 4. fol. 12. Hoc tantum dico Sanctos quosdam necessariò habuisse *plurima capita, plurima corpora, manus, pedes &c.* Si omnia veritati litare debent, quæ Pontificii (homines hac in re excæcati, quibus utinam DEUS oculos aperiret, ut in tanto lucis Evang. splendore viderent, ne perirent, crederent, ne damnarentur, quod seriò precor) de  
 reli-

reliquiis exspuunt ac defendunt. Rem vel unico exemplo ex Polani Syntagmate declarabo & Historiographorum fide confirmabo: D. Petrus integer, (Baron. Annal. Eccles. Tom. 1. & 3. A. D. 69. & 324.) Romæ in Vaticano, *dimidiatus* in via Ostiensi (Onuph. de 7. Urb. Eccles. cap. de basil. S. Pauli) & nescio *quota parte* Constantinopoli (Bellarm. l. 2. de Eccles. triumph. c. 3. & 4.) reconditus habetur. *Caput* ejus asservatur Romæ in Basilica Later. Onuph. l. d. *Pars capitis* in Eccles. S. Praxedis. Idem l. d. *Mandibula* cum barba Piëtavii, Calv. admonit. de Reliquiis. *Cerebrum* habetur Genevæ, sed erat pumex, Idem l. d. Taceo dentes, partem lacerti, quæ alibi habentur.

87. Et quid mirum, si in tantam superstitionum faraginem apud Monachos, quibus *ἐν γαστρὸς βορᾷ τὸ ζην-σόν*, ut cum Euripidæo Adastro loquar, seu virtus omnis in prospero & felici scelere sita est, excreverint reliquiæ, cum D. Augustini & Gregorii temporibus fraus hæc pullulare inceperit. Ille enim (de op. Monach. c. 28.) circumforaneos quosdam scurras membra martyrum, si tamen martyrum, venditare conqueritur. Hic (l. 3. ep. 3.) ait Græcos Monachos deprehensos, qui, corpora mortuorum in Romano quodam campo jacentia effodientes, confessi sint, se illa tanquam sanctorum reliquias in Græciam portaturos. Jure ergò Bessar. Card. (ut Bodinus Method. hist. c. 4. tradit) *Cum inter divos inepta quadam ἰστορίῳσι Rome quamplurimos referri videret, quorum vitam improbat, se valde dubitare conquestus est, an vera essent, quæ ab antiquis prodita fuerint.*

88. Ido-

V. Idololatriam  
commit-  
tunt ἀετο-  
λατρεία.

88. Idololatræ sunt ob Ἀετολατρείαν. Ubi notes i. nos defendere pieque credere Christum in Sacrosancta συνάξει adesse reverà, à piisque sacramentaliter & ore percipi. 2. Eundem Christum quovis locorum esse adorandum, illi supplicandum, sacrificia laudis & devotionis offerenda, ita tamen ut loco non amplius includatur: Verùm illud in Papistis à nobis non levi brachio culpari, quod hostiam consecratam, quin etiam extra usum à Salvatore institutum, religiosè colendam & adorandam statuunt. Sic enim Bellarm. l. i. de Euchar. *Cultu latrias dicimus per se & propriè Christum adorandum & eam adorationem ad Symbola etiam panis & vini pertinere, quatenus apprehenduntur, ut unum quid cum Christo quem continent.* Quin & Concilium Colon. sub Imperatore Rudolpho Habsburgensi circa annum 1280. devotè facienti processum 10. dierum indulgentias proeundo & redeundo concedit.

89. Esse verò idololatricum *panem domini*, ut August. tract. 59. in Evang. Johannis nominat, seu ut Romæ (Anastaf. Sermôn. Protonot. Apostolic. de sacror. immun. l. 3. c. 1. §. 20. Ex typograph. Vaticana) vocatur, *frustulum* adorare adeò clarum, ut nec ipsi Pontificii negent. Sic enim Alanus lib. i. de Euch. c. 34 p. 418; *Non posse in Eucharistia duplicè existere substantiam, primùm quia Ecclesia esset in summo periculo, dum adorat Eucharistiam, si alia ibi esset substantia, ad quam cultus dirigi non debeat.* Proinde nihil ferè habent, quod excipiant, nisi hoc, panem non amplius esse panem, sed jam in corpus Christi transubstantiatum, ut novo sed valdè significante verbo dixit Concil. Later. sub Innoc. 3. coactū, ait

ait



ait Alanus p. 422. ) loquuntur. Quo nomine non fore se idololatrias licet pani thecæ pretiosæ incluso, in pompa plusquam Pompeiana circumgesto, cultum divinum offerant. Videatur Lefs. & Hugo hyperaspides, Lefs. contra B. Meisn. Bellarm. l. 4. de Euchar. c. 29. §. sed hæc, *Catholici cum negent panem in sacramento remanere, quomodo possunt asserere panis adorationem?*

90. Verùm I. *Conversionem totius substantiæ panis & vini in totam substantiam corporis & sanguinis Dominici, ut Alanus l. d. p. 4. 22. definit, esse factam est figmentum hominum de schola. Siquidem, ὁμοφραδμένως reverendus Evangelistarum Chorus asserit discipulos panem, quem Christus fregerat, verè manducasse. 2. Paulus I. Cor. II, 26. 27. 28. expressè panem nominat, in l. d. c. 10, 16. panem qui frangitur nominat κοινωνίαν & σώματ<sup>ος</sup>. Κοινωνίαν v. τῆ σώματ<sup>ος</sup> esse ipsum & nil præter corpus quis crederet? 3. Ex Irenæo libri nostri symbolici demonstrant & docent duas res ad Sacramentum constituendum requiri, terrenam & cœlestem. 4. Cajetanus & aliquot vetustiores Scholastici (confitente Alano l. d. c. 34. p. 419.) præsentiam realem in Sacramentis expressis scripturis haberi, sed panem desinere esse, converti aut non aesse una cum corpore, non tam ex Evangelio quàm Ecclesie auctoritate constare asseruerunt. II. Eset ἑθλοθρησκία. Christus enim nullibi hoc jussit, nec ad id sacramentum instituit, ut panis in eo adoretur, sed ut sumatur, edatur. Meritò ergò Pontificiis occinitur illud Christi: Vos Matth. 15, 6.*

91. Neque idolomaniam effugere possunt, suis si hypothefibus stare desiderant. Docent enim *verba sacra-*  
I *menti*

menti vi significationis suæ (verba hæc sunt Alani de Sacramento in genere 184.) non omnimodam continere certitudinem, nisi ad illum peculiarem Religionis actum intentio ministri referatur. Concil. Florent. Persona Ministri conferentis Sacramentum cum intentione si de erit, non perficitur omnino Sacramentum. Concil. Trid. fulmine anathematis ferit secus statuentes. Intentio v. quid sit docet Alanus l. d. p. 184. Intentio, inquit, nihil aliud est quam actus voluntatis moventis se in aliquem finem. In summa Angelica de Euchar. c. 26. Si sacerdos præcisè statuerit alterum dimidium panis consecrare, non itidem alterum cum integro pane, altera tantum pars consecratur, altera minime. Qui ergo totum panem adorant putantes illum totum in corpus Christi conversum, qui tamen ob defectum intentionis in consecrante non est, is quò ad dimidiam partem panis creaturam adorat, quod est idololatrarum. Quæ ratio Thomam Salisburgensem movit, ut in arte prædicandi cap. 25. apud animum statueret, neminem præcisè credere debere hoc esse corpus domini, sed cum hac conditione, si in consecratione ritè acta omnia. Aliud enim asseret de creatura quod ipsa sit creator, & ita est idololatria.

92. Misera ergo conditio Papistarum qui 1. nesciunt quid adorent. Joh. 4, 22. 2. Miserior, quò *συνείδησιν τῶν εἰδώλων* 1. Cor. 8, 7. effugere non possint, siue quod adorantes frustulum panis, nunquam non illud conscientia læsa, faucia faciant. Semper enim dubitatio remanet: Quid si minister non habuerit intentionem ritè consecrandi? num idololatra fies? Miserrima, quod fœderis cum Deo in baptismo initi *ὀλοκαρδίας* & absque hæsitatione certi esse non possint. Semper enim

enim

enim manet, quid si minister intentionem non habuisset & non ritè baptizatus esses? Et qui secus statueret, qui tot necromanticos, tot veneficos, tot magos, tot adulteros ex ordine sacerdotum papalium (horum enim omnium segetem in Papatu esse uberriamam & succrevisse instar herbæ irriguæ, testis est experientia & loci deformati stultorum magistra, ut experientiam Pindarus nominat, edocti, nimium quantum deflent.) videt. Exite igitur è Babylone, qui Christi esse vultis.

93. Committunt Idololatriam dum rebus naturali-<sup>VI. Idololatriam</sup> bus vim divinam ascribunt. Sic enim de aqua benedicta <sup>latrariam</sup> de consecrat. dist. 3. cap. Aquam: *Aqua sale aspersa & divi-<sup>commit-</sup> nis precibus consecrata populos sanctificat, inquinatos curat & <sup>tunt Res</sup> mundat, sanitatem animæ & corporis præstat, laudat hæc <sup>consec-</sup> eadem Pontificiorum non minimus Alanus & qui <sup>crando.</sup> dem tanquam illustrem ceremoniam Ecclesiæ & antiquissimam, quæque videatur maximè omnium habere propriam rationem Sacramenti, c. 5. de sacramentis in genere lib. 1. p. 19. ex quibus nos hæc. Idem c. 11. pag. 33. *Quod sint qui dicant, remissionem peccatorum licet venialium efficere ex opere operato, quam sententiam non adeò repudiat, quin potius p. 34. ad suum institutum adplicat. Vide etiam Estium in 4. sent. dist. 1. §. 15. Sic de agnis (ut cætera de Evangelio Johannis, de frondibus campanarum baptizazione &c. vide Pontificale Rom. tit. de benedict. f. 169. 171, taceam) à se consecratis Urbanus V. Pontifex ait; *Balsamus & munda cera cum chrismatibus unda Conficiunt Agnum, quod munus do Tibi magnum, Fonte velut natum per mystica sanctificatum.***

*Fulgura defursum depekkit, & omne malignum. Peccatum frangit ut Christi sanguis, & angit. Prægnans servatur simul & partus liberatur &c.*

94. Videat & judicet nunc Christianus & quivis cordatus, annon expressè Idololatricum & blasphemum sit brutis & sensu carentibus rebus, adscribere eum affectum, qui solius Christi sanguini competit 1. Joh. 5, 6. Hic diabolorum terror & in id adparuit, ut opera ejus confringeret. Paulus *πανοπλίαν* Christianam, qua contra hostem illum Christiani nominis *ἀσπονδον* nunquam non Christi membra debent esse induta, describens, nullius aquæ facit mentionem. Eph. 6, 13. nec diabolus carnalibus armis abigitur Job. 41, 18. Si que hoc facit, hominibus, in graviora quo ruant scelera, illudit.

VII. Idololatriam admittunt Opere Operato.

95. Sacramentis *vim ex opere operato tribuendo*. Sic enim Alanus l. d. c. 8. p. 26. Differentia autem in significatione (inter V. & N. sacramenta) est duplex. *Primum quod nostra sacramenta immediatè & principaliter & ex se significant sanctificationem animæ internam, quæ fit per gratiam. At sacramenta vetera primariè, ex se, & institutione divina significabant &c.* Altera differentia est, quia illa Sacramenta antiqua tum cum præter purgationem legalem sanctificationem internam suscipientium significarent, non id tamen ex se, sed ex ratione cujusdam adjuncti, quatenus copulabantur fidei Messiæ & Charitati vivæ: At nostra ex se & institutione sua, non includendo fidem & charitatem, ut causas activas, internam sanctificationem per gratiam formaliter justificantem significant. Et p. 27. Commune est utrisque Sacramentis gratiam significare, licet nova ex se, vetera ex adjuncto, Gabriel Biel. in

in Expos. Can. sacri lect. 87. lit. N. quod sacramenta novæ legis virtute operis operati conferant *gratiam*, ita quidem ut non requiratur bonus motus interior. Vide verba ejus l. d. Unde sunt, qui affirmare non vereantur, etiam resistentibus sacramenta conferrigratiam. Vide Didacum Nugnomen tom. i. in 3. Thom. fol. 32. b. qui tamen hanc aliorum Papistarum sententiam rejicit Albertinus Quæst. 3. Theol. fol. 197. seq. dubit. 2. affirmat *Sacramenta esse causas gratiæ Physicas*, ideo compararia quæ calefactæ, matrici, terræ &c.

96. Idololatriæ verò crimen hæc omnia haud effugere veleos, qui nondum ære lavantur, haud latet aut fugit. Siquidem non solum phrasis ista ex opere operato est barbara & literis Sacris invisa, quod concedit Soto, Patribus inusitata, largiente Tappero, sed & superius probatum satis dedimus, Idololatria Judæos se contaminasse, quando sacrificiis opus operatum affingebant.

97. Idololatræ fiunt ob Papolatriciam 1. *Deum eum VIII. Idololatriæ*. Sic enim Glossa capit. eum inter. Extravag. lolatræ Joh. 22. *Dominus Deus noster Papa*. August. Steuch. tom. sunt ob 3. lib. 2. de donat. Constant. contra Vallam. f. 330. *Au-Papolatriciam summum Pontificem à Constantino DEUM appellatum & triam. habitum pro DEO. Hoc videlicet factum est, cum illo præclaro edicto decoravit, adoravit uti DEUM, uti Christi & Petri successorem divinos honores ei, quoad ejus potuit, contulit, velut vivam Christi imaginem veneratus est. Ludovicus Gomezius: Papa est quoddam numen & quasi visibilem quendam DEUM præ se ferens. Nicolaus Egmenus Magister Lovaniensis & Carmelita sub ipsa Evangelii luce scripsit, Pontificem Romanum esse omnium rerum, cælestium, terrestrium & subterraneanarum dominum: omnesque*

*principes ab ejus nutu pendere & habere imperium in Angelos & Demones.* Stapl. in princ. fid. doct. in præfatione, Gregor. XIII. *optimum, maximum ac supremum, in terris numen vocat.* 2. *Infinitam potestatem ei vendicando.* August. Anconitanus præfat. lib. de potest. Ecclesiæ ad Joan. XXII. non dubitat dicere quod *Potestas Papæ sit infinita, eò quod magnus dominus & magna virtus ejus, & magnitudinis ejus non sit finis. Omnis creatus intellectus in ejus descriptione invenitur deficere.* Hæc omnia de potestate Ecclesiastica dicit quæ supra omnem principatum & potestatem collocat, ut ei genua cuncta curventur, cælestium, terrestrium & inferorum. Hæc Rivetus in Cathol. adducit. Unde Papa Clemens VI. in bulla super Jubil. part. 3. tit. 22. c. 6. Angelis imperat, ut animas eorum, qui in itinere ad plures abirent, dum Romam tempore Jubilæi cogitarent, è purgatorio in absolutam paradisi gloriam introducant.

98. 3. *Supra legem divinam se efferendo* Ruardus Tapperus Tom. 1. art. 6. ait, *Longè gravius peccare eum, qui violans edictum Papæ & vel sub utraque juxta Christi institutionem communicet, vel die jejunii ex libertate Christiana carne vescatur, quàm si divina præcepta transgrediatur & quovis flagitio se polluat.* Potest statuere contra *Novum Testamentum* Bertuch. in Repertor. in Dict. *Papa potest dispensare contra Apostolos.* Glos. dist. 34. c. Lector. in verbo fiat. Wolffg. Schreckius in Thes. de puro & expresso DEI verbo in præfatione, ait malle se *discedere ab Evangelio quàm ab Ecclesiæ ceremoniis.* Et quid multis potestatem *ligandi & solvendi ubi vult habet,*

bet, Albertus Pighius 4. Eccles. Hierarch. c. 8. apud ipsum & DEum sufficit pro ratione voluntas Grat. caus. 9. c. Nemo. quin si multa millia animarum secum in errorem & exitium duxerit, nemo ausit dicere, Domine Papa quid facis? Distinct. 40. cap. Si Papa, 4. Ea quæ solius Christi Papæ adplicando, Papa est Melchisedech, cujus plenitudine omnes accipiunt Durand. Episc. Mirat. divin. offic. lib. 2. c. 1. num. 17. Steuchus lib. de Pontif. Rom. ad Papam adplicat illud vaticinium: *Ecce ego ponam in fundamentum Sion lapidem probatum, angularem, pretiosum.* Panorm. quod idem cum DEO consistorium habeat. Anno 604. editum est Romæ & Clementi VIII. Pontifici dicatum opus Adoardi Gualandi Episcopi Cæsenatis de morali & civili facultate, in quo lib. 14. cap. 3. hæc habentur: *A Papa tanquam à capite (adducit locum Clar. Dn. Gerh. in Disp. 3. de Imped. pietatis) in universum Ecclesiæ corpus, id est, in omnem Christianam Rempubl. Spiritus influunt cœlestium gratiarum sensum fructumque præstantes & efficacem motum ad sempiternam beatitudinem. Merito igitur Sanctissimus appellatur & ab omnibus Christianam religionem profitentibus quasi quidam DEUS adoratur & colitur.* Et quid multis? Erasmus in Annot. N. T. 1. ad Timoth. cap. 1. testatur, suo tempore disputari consuevisse: *An Papa possit abrogare id quod scripturis Apostolicis decretum est? Utrum simplex homo sit an quasi DEUS participet utramque naturam cum Christo? An clementior sit quàm fuerit CHRISTUS &c.* Unde meritò Fridericus II. de Papis conqueritur in epistola ad Ottonem Bav. Ducem apud A-  
vent,

vent. lib. 7. quod Romani affectent *dominationem* & *divinitatem*, quod magis timeri velint quàm *DEUS*, id quod soli *DEO* conveniat, sibi usurpent &c. Plura qui velit, adeat Præceptores nostros venerandos in scriptis, quæ publici juris fecerunt, & inveniet ea, quibus legendis ne lacrymis quidem temperare possit, & tamen cæci doctores hæc non vident.

99. Esse vero hæc omnia Idololatrica hoc modo probo: Quicumque nomen (non præeunte scriptura) *DEI* sibi arrogat. 2. Potestatem divinam sibi sumit. 3. Christi propria sibi applicat. 4. Ordinationibus suis plus quàm divinis tribuit, ille Idololatriam committit. Papicolæ Papæ hæc omnia, tribuunt. E. Idololatriam committunt. Et qui secus statuere posses, quum ex Papistis ipsis, qui emunctioris sunt naris, (quin ipsi Papæ) concedant Papam posse à fide fieri devium, Dist. 40. cap. Si Papa, posse errare in fide, posse heresin tradere in decernendo aliquod fidei dogma Stapl. in Relect. princ. quæst. 4. cond. 2. pag. 384. fuisse *Necromanticos*, *Simoniacos* imò *portenta* & *monst* a Platina in libro de Vitis Pontif. p 118. 119. posse idolis sacrificare Costerus in Enchir. Multas *ἰδωλολατρίας* (sic enim Gerh. Lorichius supra l. d. lib. 13. non ita procul à fine: Item: *Menschenfagung* so aufer und wider Gottes Wort in den letzten Tagen von etlichen Pábstten constituirte seyn / zu einer Beschwerung der Kirchen / zu einer Ursach vieler Sünden und Uergernissen erwachsen seyn etc.) in Ecclesiam invexisse. Quis ergò his omnibus si venerandum

DEI



DEI nomen tribuitur, si infinita potestas &c. conceditur, non decem evocaret Heraclitos Ecclesiæque sortem miseram defleret, decem Democritos Papicolarumque stultitiam derideret. Nobis exinde adparet *ὁ ὕψιστος θεὸς* istum de quo Paulus 2. Thess. 2. jam esse revelatum, quum homo peccati (seu omnium scelestissimus, hæc enim est emphasis Hebraismi) in templo sedeat, seque super omnem qui dicitur DEUS, elevet.

99. Ita nunc Pontificiorum Idolomaniam, qua illud quod DEI proprium creaturis deferunt, vidimus. Alteram Idololatrias speciem constituunt cultus electitii, qualibus Augiæ istud stabulum omnibus modis abundat, ut sunt sacrificium Missæ, adoratio imaginum, peregrinatio ad loca Sanctorum, jejunia, vigilia, cilicia &c. de quibus omnibus cum in scriptura sacra altum silentium, non est, quod multis laboremus. Superius enim probavi idololatriam committi si DEUS electitiis cultibus & imprimis subratione meriti colatur. Unde DEUS ipse Es. 58, 5. Nunquid, inquit, tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam, nunquid contorquere quasi curriculum caput suum & saccum & cinerem sternere? Nunquid istud vocabis jejunium & cultum acceptabilem Domino.

100. Ac antequam manum de tabula subtraham, libet ut Pontificii habeant, quò suis domesticis respondeant, ex Gerh. Lorichio, qui scommatis alias hinc inde Lutherum proscindit, ingenuam confessionem de Missa & aliis electitiis cultibus huc adponere. Sic v. lib. II. ferè in medio: *Die weil aber in diesen letzten Tagen*

R

gen

gen die sonderliche Messen auffkommen sind / ist auch das  
 Band der Christlichen Einigkeit verspolget / und ist der  
 Gemeine eine Besach geben zu allen Vbel. Ein Fürst  
 vnd gewaltiger Herr / so er auff die Jagt reiten / vnd  
 arme Leut zu seiner Leichtfertigkeit mißbrauchen will /  
 daß sie Sharn zuführen / Hund zu leiten etc. Auch dem  
 Armen durch ihre Wiesen und Aecker zulauffen vnd zu  
 rennen / Ihr Graß und Samen zutreten etc. so ver-  
 meinet er Glück zu haben / wo er erst Noth gehört hat.  
 Kauffleute vnd alle so Kauffmanschaft oder auch  
 Handwerck treiben / sind Morgens andächtig Noth zu  
 hören / vnd bald darnach achten sie nichts ob sie ihren  
 Nechsten vorvortheilen / betriegen / bescheissen / ja auch  
 den Nahmen Gottes verschweren. Ich achte vnnotig  
 dergleichen Exempel mehr zuzerzehlen / dann die Welt  
 solcher voll ist. Vnd es mag oder kan solchem Vbel nit  
 fürkommen werden / es sey denn / daß die sonderliche  
 Messen abgethan werden / vnd die Gemein zu dem ge-  
 meinen Lob Opffern angehalten werden. Et lib. 8. a fine  
 p. 2. Der Luther vnd andere haben guten Zug vnd Besach  
 solchen Streit anzufahren / vnd wieder solche grobe  
 Laster und Mißbräuch / der vnseren zu handelen / als da  
 sind die öffentliche gemeine ambition vnd Simonia so  
 alles Episcopat vnd hohen digniteten vermackelt haben.  
 Item: der müßigen Priesterschaft Geiz / Wucher /  
 Wollust und Pracht etc. Item / der gemeinen Priester /  
 Exempelmessen / und vnehlichs Verschlass. Item:  
 Der Ablass Exempel / der Ehe verbot / so mit Gelde abge-  
 kauft wird / der Speise Verbot / so auch durch Geld  
 zugelassen wird. Item lib. 11. Es haben auch etliche den  
 todten Shiens oder dis gute Werck nachgethan / in der  
 Gestalt

Gestalt vñnd Wahn/der verstorbenen Seelen gewißlich  
zuerlösen / das warlich ein öffentlich grober Irrthumb  
ist / zum theil Pelagianischer Kezerey / zum theil der  
Henden Irrthumb / so viel Nothhelffer gehabt haben /  
vñnd sie ihrer Toden Nothhülffer und seligmacher gewesen  
sind etc.

101. Atque ita sequitur *πορίσµατ* 100, quod Luthe-  
rus piam reformandi occasionem habuerit 2. quod Ec-  
clesia Romana non sit vera Ecclesia, quum Idolis servi-  
at. 3. Quod nemo à religione Lutherana quacunque  
de causa ad Papisticam & idololatricam secessionem fa-  
cere debeat, sed quod 4. omnium omninò sit matu-  
rè è babilone exire, ne damnationis ejus participes fi-  
ant. Quod etiam DEUS omnibus qui eo nomine ten-  
tantur vel etiam qui jam dum tentati succubuerunt,  
concedat, nosque in vera religione constantes usque  
ad extremum vitæ halitum conservet per Jesum  
Christum Dominum nostrum, oramus.

Amen.

---

**M. JACOBUS WELLER,**  
Neokirchenfis Variscus

*Per Anagramma*

SIC BENE SAVITAS, MONACHOS SIC  
VELLERE SURGIS VIR, CUR?

*Exegesis.*

SIC BENE SAVITAS, MONACHOS, WELLERE, Mi-  
nervâ

SIC doctâ SURGIS VELLERE, docti, Patres,

Secd.

Sed CUR? VIR referas, verum num dogma Jehovæ,  
 Et Monachum pateat lubricus error? ita.  
 Heu Simulacricolæ! quid Filia Vejovis amens  
 Profers? quid rasi plebs odiosa chori?  
 Nil prodest *Sanctis* devotè morte peremptis  
 Vivifico spreto *sacra litasse* DEO,  
 Nil juvat *Idolo* picto dare *basia* trunco,  
*Reliquias Sanctum* nil coluisse juvat.  
 Nil *cecuisse* juvat periniquo murmure *Missæ*,  
 Ad cœlos *opus* hîc nil juvat omne *bonum*.  
 Nil juvat *ex misero*, ah misero! licet, improbe, *Papâ*,  
 Grex Monachum *facias efficiasq;* DEUM.  
 Hinc BENE SAVITAS, MONACHOS, SIC VELLERE SUR-  
 GIS  
 WELERE, Aonii spes requiesque chori.  
 Longè aliter profers, cûinam sit cultus habendus,  
 Scilicet omniscio vivificoque DEO.  
 Idque venis claris dictum, purisque probatum  
 Chaldaeo, Hebræo fontibus atque Syro.  
 Ergò ades ô Papifer, WELERI perlege scripta,  
 Et cernes monstri quid tuus error alit.  
 Interea MONACHOS, SAVITAS VELLERE pergas,  
 Veraque pro falsis verba docere nugis.  
 Sic erit ut charus fias homini que Deoque,  
 Et capias factis præmia digna tuis.

Hæc DN. M. JACOBO WELERO  
 de Romana Idololatriâ disputaturo ho-  
 noris ergò adponere voluit

BALTHASAR TROGER,  
 Flavio Variscus.

F I N I S.

Coll. diss. A. 72, misc. 26